BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
C
28
NAPOLI

XLI
C
28

Digitized by Google

[illegible]

Google

2

THOMÆ CRENII
DE
FURIBUS
LIBRARIIS
DISSERTATIO
EPISTOLICA I.

AD

Eximii & ſingularis ingenii, doctrinæ, virtutis & elegantiæ Virum,

FR. DANIELEM KNOCHIUM,

Mœno-Francofurtanum, elegantioribus ſtudiis operam navantem.

Editio ſecunda, auctior & emendatior.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

LUGDUNI BATAV.

Ex Officina ABRAHAMI vander MIJN,

CIϽ IϽ CC XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMÆ CRENII
DE
FURIBUS LIBRARIIS
DISSERTATIO
EPISTOLICA I.

Inter tam multos, quotidie, ut ipſe vidiſti, extraneos adeuntes me, ſolo nomine fretus & virtute tuâ conveniſti me ſine commendatitiis. Quàm acceptus & gratus mihi fueris, tum ob ſpectatiſſimi Parentis Rempublicam in litterariam merita, tum ob eximiam tuam indolem & doctrinam, tum ob modeſtiam; quantíque Te fecerim, benevolentiam meam erga Te expertus, ignorare non potes. Uſus ſum Te familiari convictore, ut homine probatô mihi. Introduxi Te, ut hominem ordinis noſtri, id eſt, non indoctum, in Muſeum meum; téque priora ſtudia tua, intervallô aliquô intermiſſa, magnâ voluptate recolere obſervavi. Libros qualeſcumque meos corúmque editiones inſpexiſti & examinâſti eô prudentiùs,

quô major exquiſitiſſimorum copia in libraria optimi Parentis Tui offenditur. Enimverò ſapienter agis, cùm ſubſecivis horis litteras in politiores incumbis, & in optimorum librorum bonorum editionum cognitionem; quâ quantum profeceris, ſatis apud me declarâſti, & abundè teſtatus es. Quare indies honorem acceptum à Patre auges, & domui Tuæ non contemnendam pariter utilitatem adfers; quam ita fulcis, ut nullum fortunæ ſævientis impetum exhorreſcat. Perge igitur, ſed utilitati ſic ſtude, ut honeſti minùs obliviſcaris; quod ipſi nonnulli Scriptores uſque adeò neglexerunt, ut furtum committere, eruditioreſque videri maluerint, quàm probiores. Quo de argumento cùm multus nos inter ſermo fuerit, in illud inquirere, Tibíque placere non obſcurè præ Te tuliſti. Sanè Janus Parrhaſius, Epiſt. LIV. princip. p. m. 87. edit. Henr. Stephan. M. D. LXVII. in 8. aliquando ſtatuit, nulla poſthàc edere commentaria, cùm pluribus magníſque de cauſſis, tùm propter impudentiſſimos quoſdam plagiarios: à quibus ad verbum tranſſcribi res cognitu dignas ab interpretationibus ſuis in Claudianum, atque in adnotationes plagiariorum, auctore diſſimulatô, referri, ſæpe ſecum ſtomachatus. Idem in Excerptis Carminum diverſorum expoſitionibus è Commentar. in Claudiani II. lib. de

raptu

raptu Proſerpinæ, v. 135. p. m. 213. edit. dictæ Henr. Steph. *Quid tamen*, inquit, *refert, quum nonnulli inventi ſint, qui noſtrum qualecumque hoc inventum pro ſuo recitent ac oſtentent?* Idem ad nauſeam lectoris ferè laborat ibidem, p. 218. ut ipſe primus alicujus inventi habeatur auctor. *Nec ingrati*, ſcribit, *Priſciano ſumus, qui Callimachi verſum citat ex Aetiis, lib.* 1. *nobiſque adhuc pueris aurem quodammodò vellit, ut hoc in Martialem ſuſpicaremur. Improbè profectò faciunt, qui tamquàm fuci alienis laboribus inſidiantur, & quacumque præripere poſſunt, pro ſuis oſtentant. An ſi noſtram hanc obſervatiunculam per ætatem prodere tum non licuit, & editione, non inventô, præventi ſumus, idcirco noſtrâ nos laude fraudari patiemur?* Non adeò toleranda quies. *Marius Æquicolus, juvenis apprimè doctus, ut ejus ingenii monumentis notum eſt, ſanctiſſimè teſtari poteſt, me pluribus annis, antequàm in cujuſpiam commentariis ebulliret, Neapoli ſuper hoc Martialis loco ſecum communicâſſe. Sed & Tydeus Actianus ille Picens, Præceptor olim meus, vir in omni vita colore terſiſſimus, & quem nulla remotior diſciplina latet, meô nomine multum gloriatus, quòd ejus ætatis puer eruditionis non exiguum ſpecimen ſub ſe dediſſem, in ſuas quiſquilias hoc etiam retulit, opus ſanè varium, quod abs ſe magnâ curâ compoſitum jam tum videbatur editurus, ac neſcio cur ad hanc diem publicum non acceperit. Non eſſemus in iis vindicandis adeò dili-*

gentes, niſi nonnullos in alienis & quibus ipſi non inſudârunt, idem moleſtiſſimè facere videremus. E qua verboſa Parrhaſii diſputatione poteſt intelligi, non falsò Deſiderium Eraſmum ſcripſiſſe: *Scriptores opera ſua non ſecus ac liberos adamare*; quod quâ occaſione ſcripſerit, cognoſcendi fortè voluptate jucundum erit. *Habeo*, ſcripſerat Gulielmus Budæus ad Eraſmum, lib. I. hujus Epiſtolar. n. XI. extr. p. m. 29. edit. opt. Froben. M. D. XLI. in fol. *Adnotatiunculas aliquot in Novum Teſtam. quas Adnotationibus in Pandectas, quas aliquando editurus ſum, inſerendas ſervabam: ſed poſt te verbum nunquam faciam, ne abſurdus eſſe videar, ſi poſt Homerum errores Ulyſſis ſcribam, & alioqui ne improbitatis me damnem. Si tibi igitur uſui futuræ ſunt, donabuntur ne pereant.* Huic Budæo ſalsè ſatis & perfacetè reſpondet Epiſtolâ ſequente Deſiderius, p. m. 36. *At verò, quòd tuas in Novum Teſtamentum Adnotationes mihi credere vis, quæſo an non pudebit poſthàc iſtos, qui ultro lucubrationes alienas ſibi vindicant: aut qui ſibi habent, non literis, quicquid habent? O pectus verè candidum atque amicum, & ab omni invidentiæ morbo alieniſſimum. Rectè dictum eſt: Scriptores opera ſua non ſecus ac liberos adamare. Tu non gravaris filium fraudare, quò me dites; & cùm plerique pro gloria, perinde atque pro vita digladientur: tu non recuſas tuam ipſius gloriam in amicum transfundere. Quis hoc ingenium non adamet?*

met? Non deoſculetur? Sed cave faxis iſtud mi Budae. Neque enim mei ingenii eſt, alienis opibus venditare me, etiamſi in Hebraicis paſſus ſum nonnihil operæ ſubſidiariæ, ſed id ſanè perparcè, nec diſſimulanter tamen. Simul de Studioſis peſſimè merear, ſi ea mihi ſumpſero, quæ ſcio feliciùs abs Te tractatum iri. Denique cùm publica feceris, mea nihilominus erunt quàm tua; licebitque eis uti cum Budæi mei nomenclatura, quod ego non tam candidè facio, quàm ambitiosè. Hæc quo valerent, ſi non intellexit Budæus, gravedine laboravit. Magìs famæ ſuæ ſtudebat Eraſmus & gloriæ, quàm ut talia admitteret. Quamobrem ibidem, p. m. 34. extr. non paucioribus verbis amolitur à ſe ſuſpicionem, quaſi ſe prævertiſſet in Adagiorum opere Polydorus. *Polydorus Vergilius*, inquit, *vir eruditus, mihique nunc amiciſſimus, paſſim prædicabat, me ſuis ingredi veſtigiis, æmulum operis alieni, non autorem mei: cùm hoc libelli quicquid erat, annos aliquot edidiſſem; priùs quàm Polydori nomen nôſſem. Demum ubi Polydori librum eſſem nactus, ipſa Chalcographi inſcriptio declarabat, me menſibus aliquot antevertiſſe: cùm ille ederet in Italia ſuum, ego meum Lutetiæ. Et tamen Lucas quidam Sauromata, Theologus Lovanienſis, vir non ob aliud, opinor, infenſus bonis literis, niſi quòd eas annis permultis, ſed infeliciter, planéque Muſis iratis adfectâſſet, pertinaciter adſeverabat, me alienis inventis oſtentare me.* Liticulam Eraſmo quoque

movit aliquando Cælius Rhodiginus, quaſi ſurripuerit ſibi aliqua circa adagia meditata; ſed, auctore Dan. Georg. Morhofiô, 1. Polyhiſtoris Literarii c. xxi. p. m. 252. *non habet, quô jactet ſe Rhodiginus, quòd guttulâ unâ vel alterâ hunc fontem auxerit; paucula enim ſunt, quæ in opere ipſius Antiquarum Lectionum habentur de quibuſdam adagiis. Etiam Verderius nugaciſſimus ille veterum & recentiorum cenſor, p. 158. ungues ſuos in hoc opere figit, cui ſimilem ille ne paginam quidem ſcribere poterat.* De Rhodigino egimus parte iv. Animadverſionum, c. iii. §. iii. p. 123. ſ. Philologis atque Criticis noſtris nihil familiarius eſt, nihil uſitatius, quàm: *hoc ante nos nemo vidit; hoc primus indico; mirum nemini hoc veniſſe in mentem*; vide è multis unum Jacobum Durantium Caſellium JCtum Arvern. 1. Variar. c. v. extr. f. m. 17. b. & c. xiii. fol. m. 33. a. ubi hâc utitur elegantiâ: *quod ut puto intellexit adhuc nullus:* ſicut in priore locô: *ſepultum hunc morem luci reddidi; quem nemo ante me vidit.* Lib. ii. c. xiii. f. m. 83. a. *Multa de Catenis*, inquit, *à nullo unquam animadverſa.* Imò ne neſciremus arrogantiam illius Galli, his verbis illam nos docere voluit in operis epilogo: *Habes duos Variarum mearum Commentarios, in quibus tentavi, ut in antiquis rebus explicandis nihil niſi novum & recens afferrem; utrùm id aſſecutus ſim, erit tui judicii, mei planè fuit & animi & voti. Erunt fortè nonnulla, quæ tu*

tu alibi vel notata vel explicata invenies, quid enim non invenies? Cùm eoſdem auctores præ manibus habeamus, nec fieri poſſit, ut qui in eorumdem auctorum lectione verſantur, ſicut qui eamdem inſiſtunt viam, ingeniô ſimul & judiciô non concurrant? Alieni ego laboris gloriam optavi nunquam, nec ita diffidenti animô fui, ut mihi rivulum quæſiêrim, qui me ad mare, vel digitum, qui me ad ipſum fontem perduceret. Quicquid ſcripſi, ex ipſo mari, ex ipſo puriſſimo ingenuóque gurgite hauſi exſcripſi. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Hoc quid de Caſellii opere nobis videatur in parte XIV. Animadverſionum noſtrarum, §. VII. p. 80. ſ. indicavimus. In præſentia notamus, novitatem inventorum cauſſam gloriæ habere Criticos, hanc ſimiam, gloriam dicere erat in animo, eis erepturus ſibi caveat. In quinque illis, quæ Rabbi Akiba, in carcere vinctus, Simeoni filio Jochai commendavit, ſecundum præcipuè notari meret, & tertium: ואם בקשת ללמוד בנך תורה למדהו מספר מוגה ואל תבשל בקדרה שבשל בה חברך׃ i. e. *Si quæſiêris, ut filius tuus legem addiſcat, doce illum e libro correcto*, ne ſcilicet, poſtquàm aliquid malè didicerit, illud dediſcere cogatur. *Ne coquas in eadem olla, in qua ſocius tuus jam coxerit.* i. e. interprete Joanne Plantavitiô Pauſanô, Epiſcopô Lodovenſi in Florilegio Rabbinico, n. DCCCCXCVIII. p. m. 184. edito Lodovæ M. DCXLV. in fol. *noli*

quidpiam ex alterius inventione palam & in medium proferre: ſed id ſolùm, quod ex penu tuo prodierit. vel, *noli munus aliquod ſubire; cùm amicum tuum id jam anteà præſtitiſſe videris.* Repetam hìc Appulel verba e Florid. p. m. 361. edit. opt. Francof. M. DCXXI. in 8r. *Thales Mileſius ex ſeptem illis ſapientiâ memoratis viris facilè præcipuus fuit. enim geometricæ penes Grajos primus repertor, & naturæ rerum certiſſimus explorator, & aſtrorum peritiſſimus contemplator, maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum meatus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, Solis annua reverticula: idem Lunæ vel naſcentis incrementa, vel ſeneſcentis diſpendia, vel delinquentis obſtacula. Idem ſanè jam proclivi ſenectute divinam rationem de Sole commentus eſt. quam equidem non didici modò, verum etiam experiundo comprobavi: quotiens Sol magnitudine ſuâ circulum, quem permeat, metiatur. Id à ſe recens inventum Thales memoratur edocuiſſe Mandraytum Prienenſem. qui novâ & inopinatâ cognitione impendiò delectatus, optare juſſit quantam vellet mercedem ſibi pro tanto documento rependi. Satis, inquit, mihi fuerit mercedis Thales ſapiens, ſi id, quod à me didiciſti, cùm proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciveris; ſed ejus inventi me potiùs quàm alium repertorem prædicaveris. Pulchra merces prorſum, ac tali virô digna, & perpetua. Nam & in hodiernum, ac dehinc ſemper,*

per, Thali ea merces perſolvetur ab omnibus vobis, qui ejus cæleſtia ſtudia verè cognovimus. Legi poteſt etiam hoc de argumento Stephani Forcatuli Dialogus feſtiviſſimus, cui titulus *Prometheus*, ſive *de raptu animorum*, ubi alienæ inventionis prædones & ineptos imitatores reprehendit. *Malè habere viros doctos*, ſcribit Daniel Georg. Morhofius, I. Polyhiſtoris, c. IX. p. m. 85. editi Lubecæ M. DC. LXXXVIII. in 4to; *illa depradationes ſolent ſi rerum ſuarum ſint tenaciores.* Jul. Cæſar Scaliger, cùm ab ancilla, vel meretricula, CCC. nummis emungeretur, eíque illos vindicaturo, amicus judex, quem Atticum vocat, indignâ ſententiâ inluſerat, ſtomachoſiores aliquot & acerbas in eum ſcripſit epiſtolas, in earum, prout Hanoviæ annô MDCIII. prodiêrunt Scaligeri epiſtolæ, LXIII. p. m. 190. objicit illi ſcriptorum ſuorum compilationem: *Redde mihi Præfationes meas, dicta acuta ex infinitis epiſtolis &c. & ingratus eſto.* Et p. 192. *Quare favetis furibus, niſi quia fures?* Quæ verba miror Morhofium, cit. locô inverſô ordine producere; nam priora ultimô, poſteriora priore locô poſuit. Quemadmodùm autem Mercurium, deorum interpretem, & eloquentiæ olim præſidem, ferunt Admeti regis negligenter ſervatos ab Apolline boves abegiſſe furtô; &, ut ne veſtigia quærentem Apollinem ad locum, ubi eſſent, deducerent, pul-

vere ea texiſſe: mox repertâ exſangui teſtudine, nervis aptatis illi, muſicum reperiſſe inſtrumentum, barbiton, eodémque donâſſe Apollinem, quô hic in illum hymnos cecinerit; ut Homerus, & in Hymno in Mercurium Alcæus Lesbius, florens ætate Sapphus, Poëta Lyricus, auctore Pauſaniâ in Achaicis, ſive lib. VII. p. m. 436. editô opt. Hanoviæ M. DCXIII. in fol. item hujus etiam lyræ æmulus Horatius, lib. I. Od. X. 5. ſ. memoriæ prodiderunt. Ut Callimachum taceam, Hymnô II. 47. ſ. in quem omnino videndus, quô nemo melior, Nicodemus Friſchlinus in Adnotationib. p. m 388. editis Ultrajecti M. DC. XCVII. in 8t. ad eumdem modum multi labores aliorum avertunt, & optimos ſcriptores compilant, obliti tamen lyræ, quâ laudes & nomina decantent auctorum, & præmia reddant. Cùm furtum omnino ſit, ſi infitieris à quo acceperis: at mutuum, ſi agnoſcas. *Eos, per quos profecerit quis*, præcipit Ludovic. Vives in eximia de vita & moribus eruditi diſſertatione, quam habes lib. V. de tradendis Diſciplinis; p. m. 683. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XXXVI. in 12. *citet benignè*, nec velit, *ut ait Plinius*, in præfat. ad Veſpaſian. p. m. 8. edit. Hack. 1669. in 8t. in furto deprehendi potiùs, quàm mutuum reddere, cùm præſertim ſors fiat ex uſura. *Olim adeò erant in ſuum cuique tribuendo æqui ac liberales, ut ne verbum qui-*

quidem unum auctori ſuo ſurriperent. Declarant id Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, & alii. Nunc & verba, & ſenſa, & argumenta etiam integra, nonnunquàm inventa & opera ſubtrahuntur; quod ſervile eſt admodùm, magnarúmque ſimultatum in ſtudiis origo. Cui enim non ſit grave, ſervos ſibi ſuos abduci, nedum filios? Utinam & de hoc plagio aliquid cautum eſſet Lege Fanniâ. De Ariſtotele quàm vera Vives tradat, mox videbimus. Virgilium Poëtarum omnium principi Homero

—— Cujúſque ex ore profuſos
Omnis poſteritas latices in carmina duxit,
Amnémque in tenueis auſa eſt deducere rivos,
Unius fœcunda bonis ——

canente principiô II. Maniliô, nullam retuliſſe gratiam, ex eo nonnulli colligunt, quòd nunquàm nominet; ut Muſæum, VI. Æn. 667. Theocritum & Heſiodum alibi fortè; hunc ſanè Ecl. VI. 70. Quamobrem & *mirantur multi, Maronem meminiſſe tam honorificè Muſæi, de Homero ſiluiſſe. At Græci nonnullam ei livoris hac de cauſſa labem aſpergunt. Certè Silius, cùm eundem locum tractaret,* (lib. XIII. 785. ſ.) *Homerum tantis laudibus cumulavit, ut propemodùm conſecrârit*; ſcribit Adrian. Turnebus, lib. XXVIII. Adverſarior. c. XLVI. circa finem, p. m. 631. edit Aureliopol. M. DC. IV. in 4to. Sed de ſententia Julii Cæſaris Scaligeri, lib. V. Poëtices, c. II. p. m. 539. edit. Sanctandrean.

M. D. LXXXVI. in 8t. potius eſt, ut dicamus, Virgilium ſummô judiciô, non livore aliquô tactum principem non Homero dediſſe, ſed Muſæo locum in re Poëtica. Quid? Si oblitus Poëta Homeri in opere imperfecto. An quod Græci opinantur, & in iis Laſcaris, in Bucolicis quidem Theocritum, & in Georgicis Heſiodum vicit, *ac tantùm non in caſtris cecidit.* ut Andr. Schottus, lib. IV. Tullian. QQ. c. XVI. p. m. 356. edit. Antverp. CIↃ IↃC X. in 8t. ait, Homerum non item, ſi fides illis habenda, ſuperavit? At erga Maronem grati, Ovidius & Silius Italicus: ut erga Lucanum Statius. Scaligeriana, quæ Jacob. & Petrus Puteani ex ore Scaligeri excepta chartis olim mandâſſe feruntur; & è ſchedis Puteanorum deſcripſit Claudius Sarravius Senator Pariſinus, p. m. 360. edit. Lugdun. Bat. M. DC LXVIII. in 8t. de Virgilio hæc ſubpeditant: *Virgilii Georgica ſunt admirabilia, habet ex Ariſtotele. Æneis Virgilii non eſt correcta ut Georgica, & erat compoſiturus* XXIV. *libros, ut Homerus. Omnes veteres hoc dicunt, propterea juſsit comburi illos libros, ergo ibit in ignes?* Terentius Menandrum & Apollodorum, à quibus eſt argumenta mutuatus, in Prologis laudat. Ciceronem multa e Terentio ſumſiſſe, nec tacuiſſe, notârunt pridem eruditi. Vide illum ipſum Schottum, lib. II. Nodorum Ciceron. c. I. p. m. 308. ſ. edit. Hanov. M. DCXV.

in 4to. At quod idem, c. III. p. m. 310. putat, L. Senecam, ut alia multa, ſic & ea, quæ lib. III. de ira c. XXXVI. habet, a Cicerone, ſuadente Q. Fratri, homini iracundo, cetera laude digniſſimo, ut προαιρέσει, ϗ ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν meditatione in domanda, aut certè refrenandâ iracundia uteretur, mutuatum eſſe, ſed ἑσπερινῇ ſui exploratione remedium adhibentem; mihi non fit veriſimile. Eſt quidem utrique Scriptori idem ſcopus, at argumenta variant & dehortandi modi. Ciceronis hæc ſunt in aurea illa, ac bene longa ad Qu. Fratrem epiſtola, quâ de adminiſtranda Provincia fratri Pro-Prætori in Aſia (quem tamen Suetonius in Auguſto, c. III. eamdem laudans epiſtolam *Pro-conſulem* nominat) utilia vitæ ac Reipubl. præcepta tradit, c. XIII. *Sed Te illud admoneo, ut, ſi hoc plenè vitare non potes, quòd antè occupatur animus ab iracundia, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur: ut te antè compares, quotidiéque meditêre, reſiſtendum eſſe iracundiæ.* Sapiens autem Philoſophus Seneca, cit. locô ad hunc ferè modum: *Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad judicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hâc conſuetudine excutiendi totum diem?* Utriuſque verba ponere volui, ut Lector judicare poſſit utrum Seneca hic imitari Ciceronem dici poſſit? Mihi, ut dixi, non videtur. In Hiſtoricis ingrati crimine T. Livius Patavinus

ab

ab ipſis Italis, Petro Victoriô, lib. XXI. variar. Lect. c. I. p. m. 244. & Fulvio Urſino in Dedication. notar. in Legationes Polybii, p. m. 237. ſ. edit. Amſtelod. 1670. in 8t. arceſſitur, quòd cùm pleraque rerum Punicarum e Polybio hauſerit, ſemel tamen ac frigidè, in iis quidem, qui exſtant, libris, nominârit: advocet verò crebriùs Latinos minorum gentium Hiſtoricos, Fabios, Piſones, reliquos. *Sed neſcio*, inquit, d. l. Victorius, *quomodo plerique mortales huic culpa affines ſumus, ut fateri nolimus per quem profecerimus: magiſque proni ſimus ad errata reprehendenda, quàm ad laudes alicujus celebrandas.* Vide tamen de Livio nobis adlata part. IV. Animadverſion. c. II. §. III. p. m. 50. ſ. Gratior longè Plutarchus fuit, qui in Agidis vita Polybium laudat auctorem, Tom. I. Operum, p. m. 816. extr. & in vita L. Pauli Æmilii, p. m. 263. C. 265. b. edit. Pariſ. M. DC. XXIV. in fol. & alibi, ratus, quod res eſt, ingenui eſſe, per quem profeceris, agnoſcere. Idémque Cleomenem è Polybii lib. II. magnam partem deſcripſit: ut ex Appiani Parthicis Chæronenſis idem Craſſi vitam, aut contrà, mutuatur. Ceterùm aliquot bene de ſe meritos exempla tacentium congeſta part. X. Animadverſionum à nobis, c. II. §. VIII. p. m. 162. ſ. uſque adeò nonnullos, imò moverunt & TEipſum, ut ore & litteris rogârint me magnô ſtudiô continuationem. Quamobrem

obrem & ordine jam iſto in Animadverſionum tomô obſervatô nobis,hac in materia pergam, eodémque pactô, ſic ut non noſtras, ſed aliorum ſententias lecturus ſis, quarum de pretio & auctoritate diſputare non eſt animus.

I. ÆNEAM vetuſtiſſimum Scriptorem, c. XXXI. πολιορκητικῦ ὑπομνήματ@ deſcribere penè ad verbum Herodoti verba e Muſa VIII. c. CXXVIII. de Timoxeno, qui clandeſtina conſilia cum Artabazo Potidæam obſidente communicabat, epiſtolis ad crenas ſagittarum religatis, quas invicem mittebant; auctor eſt Iſ. Caſaubonus in ad Æneam notis, p. m. 1784. extr. edit. Amſtelod. 1670. in 8t. Confer quæ notavimus ad Gabrielis Naudæi Bibliographiam milit. c. VI. n. 21. p. m. 490. a. c. VIII. n. 20. p. 499. a. b. Tom. III. Methodor. noſtrar. de eruditione comparanda, edit. Lugdun. Batav. 1699. in 4to, item Ger. Jo. Voſſium, lib. de univerſæ Matheſios natura, c. XLVIII. §. 3. 4. p. m. 287. edit. Amſtelæd. M. DC. LX. in 4to.

II. LAMPERTUS ALARDUS Guilielmiades, auctore omnibus laudatiſſimô virô & amicô noſtrô, Janô Broukhuſiô, in ad Propertii lib. II. El. VII. 17. notis, quas muneri nobis miſit, p. m. 108. a edit. Amſtelæd. MDCC II. in 4to, *mirificam inſtitit commentandi* (in Valer. Flacci Argonautic.) *rationem. Nam quum quædam bona, & juventuti utilia hinc inde corraſiſſet,*

ſiſſet, neque attuliſſet de ſuo quidquam; numquam tamen vel tralatitiô nominandi honore dignatus eſt eos Scriptores, quos non dicendus latrociniis pudendum in modum expilaverat. Maximè autem in Belgas noſtros exercuit iſtam ſuam crudelem piraticam. Ecce, quæ modò laudavi, (*τὸ ille* ornatus duntaxat gratiâ adjectum) *ne apice quidem uno mutatô totidem verbis reperies apud Guliel. Canterum L. 3. Novar. Lect. c. 26.* (Ego in mea Gvl. Canteri Ultrajectini Novarum Lectionum editione ſecunda tribus libris aucta, & Baſileæ edita. M. D. LXVI. in 8t. nihil tale reperi; imò liber III. ex undecim modò capitibus conſtat in dicta quidem editione mea; nam & tertiam auctiorem dari non ignoro, licèt eâ deſtituar. Fortè Doctiſſ. Brouckhuſius in hac habet adducta.) *Nota ad Valerii L. 3. v. 709. tota quanta eſt, unà cum emendatione loci Sophoclei, exſcripta eſt è Rutgerſio, L. 4. Var. Lect. c. 16. tum & illa ad Valerii L. 5. v. 147, 148, itidem apud Rutgerſium legitur L. 4. c. 20. quæ ad Valer. L. 3. v. 441, 442, ſignavit, debentur Meurſio ad Lycophr. p. 296.* (edit. Lugd. Batav. CIↃ IↃ IC. in 8t.) *Wouwerio ad Petron. p. 478. Barthio ad Claudian.* (VI. Conſulat. Honorii, v. 329. p. m. 747. b. 748. edit. Francof. MDCL. in 4to.) *p. 379. mox laudanda not. ad Valer. L. 1. v. 83. iiſdem verbis exſtat apud Jacob. Nicolaum Loënſem L. 5. Epiphyll. miſcell. c. 21. uti & illa ad Valer. L. 5. v. 74. apud eumdem Jacob.*

cob. Nicolaum L. 6. c. 14 ubi quidem meminit auctoris ſui, ſed quaſi qui longè diverſa tradiderit. Unde vides nec fidelem Exſcriptorem fuiſſe, nedum interpretem maximi poſt Virgilium Poëtæ. Nota ad L. 3. v. 224 tranſcripta eſt de commentario Jani Parrhaſii in L. 3. v. 347. Claudiani de Raptu Proſerpinæ, unà cum emendatione loci Claudianei. Poëtæ inibi noſtri (Propertii) *diſtichon ex L. 3. Eleg. 7. v. 47.* Te duce vel Jovis arma canam, *id, inquam, diſtichon Parrhaſius errore memoriæ, ut ſit, Ovidio dederat. Lampertus itidem Ovidium auctorem fecit. Parrhaſius librum, unde depromſerat, non indicavit: quod & ipſum Lampertus fideli texit ſilentiô.* (At ex A. Jani Parrhaſii comment. in Claudianum excerptæ carminum diverſorum expoſitiones ab Henr. Stephani Parrhaſii epiſtolis annô MDLXVII. ab eodem Steph. editis ſubjunctæ, p. m. 187. ita habent: *Alii codices habent Cæi, qui Titan & ipſe fuit, Latonæ Pater, ut Apollonius canit & Ovidius.* (Lib. VI. Metam. Fab. v.) *Propert.* Te duce vel Jovis *&c.* Quæ ſi ita legerentur in omnibus Parrhaſii codicibus, memoriâ Parrhaſius non erràſſet. Sed in editione Pariſienſi antiqua, M. D. XVII. in 4to, f. 124. a. nullum à nobis adductorum verborum legitur. Quali Broukhuſius exemplô Parrhaſii uſus ſit, neſcio,) *Quæ de* nocte dulia, *ſi Muſis placet, conſcribillavit, ad Valer. L. 2. v. 573. ſunt conſarcinata ex malè intellectis Phil. Mauſſaci verbis, ſubindicante*

te

te J. F. Gronovio L. 1. *Obſ. c.* 2. *quæ de* herba Promethea *ſcribit ad Valer. L.* 7. *v.* 356. *deſcripſit ex Miſcellaneis Joannis Brodæi*, *L.* 3. *c.* 32. *Quæ de* Hyla *tradit ad Valer. L.* 3. *v.* 596. *unà cum emendatione hemiſtichii Apolloniani apud Probum Georgicorum interpretem*, *corraſit ex Rutgerſio*, *L.* 3. *Var. Lect. c.* 8. *& tamen*, *quod meritò mireris*, *fefellit hic Autolycus eorum omnium induſtriam*, *qui de Plagio Literario aliquid in vulgus emiſerunt*, *uberrimam ego illis meſſem indicavi. Interim videre te velim quæ de noſtro iſto graculo inſignis ille Barthius notavit ad Papin. L.* 1. *Silv.* 2. v. 177. p. 78. *& ad L.* 10. *Thebaid.* v. 787. p. 1256.

III. ANDREAS ALCIATUS JCtus Mediolanenſis, quæ primùm de quinque pedum præſcriptione protulit in Adnotationib. in tres poſteriores libros Codicis, Lib. x. Tit. XXXI. ad leg. 26. Quidam de Decurionibus; auctore Hieronymô Magiô, Lib. IV. Miſcellan. c. VII. f. 186. b. 187. a. edit. Venet. 1564. in 8t. hauſit, illorum tamen nominibus ſubpreſſis, e Petro Crinito, Lib. XXV. de Honeſta diſciplina, c. IV. (qui tamen memoriæ lapſu, Juſtinianum Imperatorem præſcriptionem quinque pedum in Digeſtis eliminâſſe dicit, cùm in Codic. Lib. III. Tit. XXXIX. leg. 5. *Quinque pedum &c.* potiùs eſſet dicendum,) & Marino Becichemo Scodrenſi, Epiſtolicar. Quæſtion. c. LXXVIII. quas edidit annô M. D. VI.

VI. In Joh. Calvini Lexico Juridico, p. m. 784. b. Voc. *Quinque*, edit. Genev. M. DC LXIV. in fol. malè habetur *Majoragius*, pro *Magius*. Profectò utilis ille liber tantâ Typographorum & correctorum vecordiâ editus eſt, ut nihil temerè viderim vitioſius. Sed hic mos eſt Genevenſium. Petro Nannio Alcmariano, lib. VI. Miſcell. c. VI. p. 146. Alciatus *vir admirandæ eruditionis, ac paris facundiæ eſt*.

IV. PETRI ALCYONIS librum de Exilio majori ex parte tranſſcriptum ferunt e M. Tullii libris de Gloria, ſcribit Paulus Colomeſius, c. XV. p. m. 31. Κειμηλίων, editor. Ultrajecti CIↃ IↃC LXIX. in 12.

V. *In* Paraphraſibus Moſis AMYRALDI, *non ego ſolùm*, ait Andr. Rivetus in Epiſtola Apologetica ad Guilielmum fratrem, in qua diſcutit criminationes & calumnias ſibi ab Amyraldo impactas, p. m. 42. edita Bredæ M. DC XLVIII. in 8t. vel, Tom. III. Operum, p. m. 885. b. edit. Roterod. M. DC LX. in fol. *ſed alii non pauci deſiderârunt minus audaciæ, ne tot verba ſua DEO & Scriptoribus ſacris affingeret, ne (ut verbis utar Paraphraſtæ modeſtioris, quanquàm Epiſcopi Pontificii) verba Pauli* ſuffocaret, & ſuis loquendi formulis nobis potiùs exhiberet epiſtolas ſuas, *quàm ſanctorum Apoſtolorum*; nec cogitationes ſuas admiſceret placitis Spiritus ſancti, qui ſcriptorum Canonicorum direxit

rexit calamum, & adoranda hæc myſteria eis dictavit; *nec interpretationes ſuggereret, contra Bibliorum noſtrorum notas marginales in Eccleſiis receptas. Inter eos ego fui, qui, cùm a Grotio fuiſſem pertractus, ut de c.* VII. *Epiſt. ad Roman. ſenſu agerem, non libenter vidi, quæ adverſus Socini & Arminii expoſitiones illius capitis, ſæpe apud nos hìc publicè fuerant diſputata, Paraphraſibus illis nobis eripi, ſi veræ forent. Scripſerunt illi duo* (Socinus ſcil. & Arminius; hic in peculiari ſcripto, ille primùm ſub nomine Proſperi Dyſidæi, non Deſiderii, ut malè b. Calovius in Indice auctorum antitrinitariorum Socinifmo ejus profligato Wittenb. annô CIↃ IↃC LXVIII. in 4to edito præmiſſo, & in ipſo Socinifmo, Sect. VII. Artic. VIII. Controv. IV. p. m. 754. at in Theologia Apoſtolica Romana Orac. LVI. p. m. (non 279. ut mendosè numeratum eſt, ſed) 289. ſi numerus rectè ponatur; edit. Dantiſc. CIↃ IↃC XLVIII. in 4to, non rectiùs Proſp. Gratianum vocat; poſteà verô ſuô nomine editô, in Diſputatione de loco Pauli Apoſtoli in Epiſtola ad Romanos c. VII. cum nobiliſſimo quodam viro, quam habeo ſecundò editam Racoviæ 1612. in 8t. ſicut & ejuſdem Fauſti Socini Senenſis Defenſionem Diſputationis ſuæ de loco ſeptimi capitis Epiſtolæ ad Romanos ſub nomine Proſperi Dyſidæi ante XII. annos ab ſe editæ; Racov. 1618. in 8t. utrumque autem & Socinum & Arminium

nium egregiè, quod ſemper ſolet, confutavit citatis locis ſummus D. noſter Calovius, vir ſempiternâ memoriâ digniſſimus) *prolixè in illud caput. Legant qui intelligunt, & judicent, nunquid quæcumque in poſtremo libello, quem ad TE, mi frater, miſit auctor, pleraque omnia reperiantur, quæ in illorum commentariis habentur. Id poſt acceptum illum libellum, literis ad te ſcriptis notavi, & quia putat ſe poſſe latere ſub velo* medii *cujuſdam* ſtatus, *præter id, quòd ab eadem ſubtilitate non ſunt illi alieni, monui te, Antonium Coranum Hiſpanum, olim Eccleſiarum Santonicarum, & poſteà Londinenſis* Eccleſiæ turbatorem, edidiſſe Dialogum in Epiſt. ad Rom. in quo, de illo capite agens, diſtinguit inter* irregenitos, renaſcentes, & renatos; *& mediis illis applicat luctam illam, de qua in illo capite Paulus.* Hæc Andr. Rivetus. Ex occaſione nota, Antonium Corranum Hiſpalenſem Hiſpanum, vulgo non adeo notum, *Theologum*, ut Abraham Scultetus in titulo libri jam citandi vocat, *orthodoxum*, expoſuiſſe Eccleſiaſten regis Salomonis interpretatione Latinâ, paraphraſi perſpicuâ & analyſi eruditâ, ſi judiciô dicti Sculteti ſtandum, qui librum iſtum primùm in Germania, & quidem Heidelbergæ CIↃ IↃC XIX. edi curavit in 8t. priùs Londini in Anglia annô M. D. LXXIX. evulgatum, & *inter melioris notæ libros eruditorum calculô pridem relatum; quem*, pergit in præfatione Scultetus,

cùm

cùm clariſſimæ memoriæ Theologus, Amandus Polanus, frater & popularis meus, dum vixit, integerrimus, ante duodecim annos apud me vidiſſet, cupidiſſimè illum pellegit, libellúmque hunc, quippe Theologi viri Bibliothecâ digniſſimum, ſibi quoque comparandum duxit.

VI. JOANNEM ANTIOCHENUM integrum exſtare in Bibliotheca Oxonienſi publica, ſcire ſe ſcribit Chriſtoph. Adam Rupertus, Epiſt. LXV. ad Thomam Reineſium, qui Caſp. Hoffmanni & Ruperti, unà cum ſuis Lipſiæ 1660. edidit epiſtolas, p. m. 579. ex indicio Seldeni de ſucceſſ. in Pontif. Hebr. p. 360. (Ego in exemplo meo Francofurti ad Oderam MDCLXXIII. in 4to edito ultra 248. paginas non habens, percucurri obiter iſtum librum incaſſum, non tamen eâ curâ, ut citra metuendam veritatis jacturam adfirmare certò poſſim, id ibi non haberi. Sanè lib. V. de Jure Naturæ & Gentium juxta diſciplin. Ebræor. c. VI. extr. p. m. 588. edit. Lipſ. M. DC. XCV. in 4to, Seldenus hæc tradit) *nec quemquam eſſe, qui editionem ejus curet. Haberemus*, pergit ibi Rupertus, *alioquin magnam partem de Hiſtoria* Dionis, *quem ille compilavit.* Sequente Epiſtolâ LXVI. p. m. 584. reſpondet ille ipſe Reineſius; *Theodoſii cujuſdam, qui ſe μικρὸν adpellat, excerpta e Dione Leunclajus editioni ſuæ inſeruit; fortaſſis Dionea, quæ Johann. Antiochenus habere dicitur, & quæ Fabricius, illa ipſa ſunt.*

De

De Johanne Antiocheno pauca habet Voſſius, (lib. III. de Hiſtoric. Græc. p. m. 380.) *& putat vel eſſe eumdem cum Joh. Curopalate, qui Syncellum exſcripſit: h. e. cum autore Compendii Hiſtorici Cedreni; vel cum Joh. Melele. Ego poſterius adfirmem ob Seldeni, Lib.* V. *de Jure Nat. ſec. Ebr. c.* VI. *f.* 566. *verba. De eo Malala concertantes adi Baronium, ad A. C.* XXXI. *n.* LXXV. *Caſaubonum, Exercitat.* XIII. *n.* XXXVIII. *Roſweyd. in Lege talionis, Tab.* III. *p.* 41. *ſ. Andr. Eudæmono-Joh.* (leg. *Eudæmon-Joannem* Cydonium Jeſuit. *contra Caſaubon. Lib.* IV. *c.* IV. *Rich. Montacutius, Epiſc. Anglus in Diatrib. pro Caſaubono contra Bulengerum, Malalam, de cujus mſcr.* (nam *inſcr.* vitium eſſe typographicum, vel ex Erratis Epiſtolis Reineſii ſubjectis paret, in quibus tamen nec ibi ſublatum, ſed repetitum eſt) *libris gloriantur Oxonienſes, vocat blennum, fungum, fatuum; quid ergo tantopere ejus ῥαψῳδίας edi deſiderabimus? Iohannem Antiochenſem περὶ ἀρχαιολογίας* (i. e. de antiqua hiſtoria) *citat Salmaſius in Exercitat. Plinian. Iohannem Conſtantinopolitanum in Excerptis Legationum e Dexippo Lindenbrogius ad Ammian. Marcell. Lib.* XV. *Ita variatur circa Scriptores & titulos librorum ἀνεκδότων. De codicibus Georgii Monachi & Syncelli adi ſis epiſtolam Scaligeri ad Hæſchelium, n.* CCCXCI. *&* CCCXCII. Ut Lector de his Reineſii judicare poſſit, ſciréque num Voſſius Joannem Curopalatem & Joannem

Antiochenum eumdem putârit, ſubjiciam ejus e citato loco verba: *Joannes Antiochenus inter eos, qui de Cleopatra & Pharo fuerint commentati, memoratur a Tzetze, Chil.* II. *Hiſt.* XXXIII. *Dicitur auten ibidem, vixiſſe poſt Georgium Chronicum*, (ſequentia in Voſſio verba, *& Joannem Antiochenum*, delenda eſſe, Addenda libro III. Voſſ. p. m. 546. docent) *Ubi Georgium quidem Chronicum plane cenſeo eſſe Georgium Syncellum. Joannem verò Antiochenum eſſe alium ab illo Antiocheno Joanne, quem ſub Heraclio floruiſſe monuimus, ſuperiori librô* II. *c.* XXIII. *p.* 278. *exinde colligitur, quòd Tzetzes eum poſtremò nominet, ac Georgiô poſteriorem dicat. Potiùs igitur intelligendus videtur Joannes Malela.* (De quo Malela fruſtra evolvi Caſaubonum meum loc. cit. refellentem Damaſcenum ſequutum Johan. Malalam: nihilque aliud hæc præter verba, p. m. 305. edit. Londin. CIC IϽC XIV. in fol. habentem: *Sic ſcribit Damaſcenus è ſuo Johanne Malala.*) *Niſi*, pergit in Addendis Voſſius p. m. 546. *hoc obſtare putandum, quòd nuſquam ille* Antiochenſis *vocetur. Quid ſi igitur, quem Tzetzes ſignat, is non ſit diverſus ab* Ἀ᾽ρχαιλογίας (f. Ἀ᾽ρχαιολογίας) i. e. Antiquitatum *ſcriptore: hic verò non ſub Heraclio vixerit, ſed incertæ ſit ætatis; hactenus tamen ut conſtet, fuiſſe poſt Georgium Syncellum, quô eum Tzetzes juniorem facit, ante autem Tzetzem; ut qui ejus meminerit. Intervallum inter*

eos

eos eſt annorum quaſi CCLX. *Nam Syncellus claruit tempore Irenes, & Caroli Magni. Tzetzes verò tempore Manuelis Comneni, & Friderici Barbaroſſæ.* Subponam & verba Seldeni e loc. cit. Reineſ. *Adſcribere non pigebit, quæ de Cecrope, quem diximus, tradit* Joannes Antiochenus Malala dictus, (*mſc. in Biblioth. Oxon. f.* 24. *a.*) *maximè cùm nondum is ſit typis editus.* At ſuperiore ſeculô editus eſt Londini in 8r. nempe CIↃ IↃC XCI. Cujus editionis Prolegomena hùc faciunt. Subjiciam & cenſuram ejuſdem Ruperti, Epiſt. LXVIII. ad Reineſium hôc pactó ſcribentis, p. m. 599. *De* Joanne Antiocheno *parum dextrè judicâſſe Voſſium, cognoſceres e laudatis Excerptis.* (quorum Titulus hic eſt: Polybii, Diodori Siculi, Nicolai Damaſceni, Dionyſii Halicarnaſſei, Appiani, Alexandrini, Dionis & Joannis Antiocheni, Excerpta ex Collectaneis Conſtantini Auguſti Porphyrogenetæ. Henricus Valeſius nunc primùm Græcè edidit, Latinè vertit, notíſque illuſtravit Pariſ. 1634.) *Ait in iis Conſtantinus, ſe excerpſiſſe ſua ἐκ Ἰωσήπου Ἀρχαιολογίας· Γεωργίου Μοναχοῦ, Ἰωάννου τοῦ ἐπίκλην Μαλέλα Χρονικῆς, Ἰωάννου Ἀντιοχέως χρονικῆς ἱστορίας &c. Vides apertè diſtinctum Joannem Antiochenum a Malela. Ultimum fragmentum ejus eſt de Imperatore Phoca, qui amicam habuerit Callinicen, fueritque cruentus & ſanguinarius. Igitur temporibus Heraclii vixiſſe videtur, fuit-*

que Monachus, ut in fine Conſtantinus docet: τέλος, *inquiens*, τῆς Ἱστορίας Ἰωάννου Μοναχοῦ. Quæ verba notavit aſteriſcô Stephanus le Moyne in ſuo olim, nunc meo Reineſianaium Epiſtolar. exemplari. Joan. Freinshemius, c. IV. Commentarior. in Q. Curtium, inter Scriptores Hiſtoriæ de Alexandro memorat quoque Joannem Antiochenum. Is *Hiſtoriam*, inquit, *ab Adamo uſque repetiit, in qua & Alexandrum memoravit, ut patet ex Excerptis Conſtantini, quæ ante hoc quadriennium* (ſcripſerat autem Freinshemius, ut e fine Dedicationis Commentarior. paret, annô M DC XXXIX. A. D. IV. Kal. April.) *Henricus Valeſius publici juris fecit.*

VII. AQUILA ROMANUS, ut Conrad. Geſnerus Tigurinus, Tom. I. Bibliothecæ, f. 586. b. edit. Tiguri M. D. XLV. in fol. & ex eo Ger. Johan. Voſſius, lib de Rhetoricæ natura & conſtitutione, c. XIII. p. m. 94. extr. edit. Hagenſ. M. DC LVIII. in 4to, putant, librum de Figuris ſententiarum & Elocutionis, qui in antiquis Rhetoribus e Bibliotheca Franciſci Pithœi JCti Pariſiis annô CIↃ IↃ XCIX. in 4to editis, n. II. p. m. 13. ſ. habetur, ex Alexandro Numedio ſcripſit. (Miror, neminem admonitorum nos hoc de vitio, *ſcripſiſſe*, quod in prima legitur editione, pro *ſcripſit*, admonuiſſe.) Ut Alexander ille Numenius ſit idem ille, cujus liber de Figutis Græcè editus eſt ab Aldo. Cùm verò libellus iſte Aqui-

Aquilæ Romani ſæpiùs editus ſit, tum Baſileæ annô CIↃ IↃ XXI. deinde Lutetiæ apud Robertum Stephanum, tum Lugduni apud Gryphium, mirandum eſt, virum multijugæ lectionis, Ulyſſem Aldrovandum, lib. I. Ὀρνιθολογίας, p. 20. ut *Aquila* etiam Rhetoris nomen eſſe oſtendat, confugere ad auctoritatem Petri Victorii, qui ejus meminerit commentariô ſuô in Demetrium Phalereum.

VIII. ARISTOTELIS locum e lib. I. c. II. de Generatione: *Ad ſummum de nulla mutatione, niſi ſuperficie tenus quidquam ullus definivit, præterquàm Democritus, cui omnia curæ videntur fuiſſe, in modo tamen, atque ratione diſcrepavit;* producens Sebaſtianus Baſſo, Doctor Medicus, ſubjicit in præfatione Philoſophiæ Natural. p. m. 23. editæ Amſterod. CIↃ IↃC XLIX. in 8r. *Hôc Ariſtotelis teſtimoniô, quâ parte ſibi favet, memoriâ Democriti fruatur; quâ verò officit, ſuſpectum ſit Ariſtotelis judicium; ſicut ejuſdem teſtimonium, cùm ait, veteres omnes alios de nulla mutatione quicquam, niſi ſuperficie tenus definiviſſe. Num ſuperficie tenus definivit Hippocrates de natura corporis humani? de ortus & interitus ejus principiis? de variarum ejuſdem mutationum cauſſis? de diverſis animæ pathematis? plurimiſque aliis humani corporis affectionibus, in quibus ſpeculandis non parva naturalis Philoſophiæ pars conſumitur? Hoc ergo teſtimonium Ariſtotelis, miſſâ de veteribus quæſtione, nos ad ipſum reducit,*

qui, ne quid Priſcis illis debere videatur, eos de nulla re naturali quidquam niſi ſuperficie tenus, definiviſſe dicit. Non putabat, opinor, ſuperfutura ampliſſima Hippocratis de natura animantium monumenta, de quibus audi non noſtrum teſtimonium, ſed viri noſtri ſeculi literatiſſimi Laurentii, qui licèt Ariſtotelem præter modum laudet, eum ſæpius Genium Naturæ, Naturámque alteram *vocans, tamen quæſtione* XXX. *lib.* VIII. *ſuæ Anatomiæ*, p. 702. edit. Francof. M. DC. XV. in 8t. Ariſtoteles, *inquit*, omnia ferè, quæ de Natura Animalium ſcriptis mandavit, ab unico didicit Hippocrate; cùm tamen ingratiſſimus vir ejus nunquam meminerit. Hæc Baſſo. Ceterùm, Ottonem Friſingenſem libros Ariſtotelicos in Germaniam intuliſſe, memorat lib. II. c. XI. de geſtis Frederici I. Barbaroſſæ in Urſtiſiano Tomo ſcriptorum Germanicor. Radevicus, Friſingenſis Canonicus, Ottonis Epiſcopi Friſingenſis ſacellanus ac familiaris, *neceſſarius & probus ſcriptor* Bœclero de Scriptorib. p. m. 98. princip. editionis Ultraject. MDCC. in 8t. ſatis mendoſæ. Auctore Joh. Aventinô, lib. VII. Annal. Bojor. p. m. 436. initiô, edit. Francof. M. DC. XXVII. in fol. *Annô Chriſti* MCCLXXI. *Hainricus Brabantinus Dominicanus rogatô* (f. *rogatu*) *D. Thomæ e Græco in Linguam Latinam de verbo ad verbum transfert omnes libros Ariſtotelis: Albertus uſus eſt veteri translatione, quam Boëthianam*

thianam vocant. Rectè Caſpar Hoffmannus in Oratione de barbarie imminente adfirmat, virum incomparabili judiciô Philippum Melanchthonem ſtudia revocâſſe ad fontes, & ad Methodum Ariſtotelis facilem expeditámque viam primò in Saxonia commonſtrâſſe.

IX. BARONIUS, ut habent Scaligeriana, ſive Excerpta ex ore Joſephi Scaligeri per Fratres Puteanos, p. m. 37. ſ. edit. Lugdun. M. DC LXVIII. in 8t. *melior Bellarminô, nam ſaltem contexuit Hiſtoriam, & omnis Hiſtoria bona eſt, docet me aliquid, non Bellarminus. Baronius ſi mihi daretur, acciperem, ſed non emam, nihil habet, quàm quod Centuriatores fecerunt; & illos perpetuò reprehendit; putant ita tegere ſua furta. Baronius eſt* Bibliothecaire & n'entend rien en Græc. (i. e. Bibliothecarius, & Græcè neſcit) *Baronius quô magìs procedet, eô minora* (ſ. *eô minùs*) *falſa dicet in hiſtoria. Sed prima illa tempora Apoſtolorum, & poſt, ſunt valdè obſcura, deinde alia ſunt valde ficta, ut Epiſtolæ Chriſti ad quemdam Abgarum regem. Baronius* cite des Epiſtres de Symmachus (i. e. citat Epiſtolas Symmachi) *videntur Chriſtianæ, ſed tamen non ſunt, ſapiunt vetuſtatem, ſed nihil habent ſimile illis, quas Juretus edidit. Baronius ſine ullo judicio componit Hiſtoriam. Totâ æſtate octo ejus volumina legi; ego eum nunquam læſi, ſumpſit omnia a Centuriatoribus; mallem Baronium quàm Bellarminum habere, quia nihil me docet.* Uti-

B 4 liorem

liorem Romanæ Eccleſiæ Baronium fuiſſe Bellarminô Caſaubonus in p. m. 38. Dedicationis Exercitationum ad Baronium his docet: *Baronii Annales eô periculoſiùs in manibus juventutis & rudium veritatis Lectorum verſantur: quô majore arte ſcopum ſuum in primis præſertim tomis diſſimulat. Nam Bellarminus, Becanus, Svarius, & id genus diſputatores, nudô, quod ajunt, capite veram antiquitatem religionis & jura Principum invadentes atque oppugnantes, minùs videntur metuendi; ut qui apertô Marte rem gerant, & vel ipſis titulis librorum ſuorum, Principum ſeſe hoſtes profiteantur: a Baronio verò, ſcriptionem Annalium promittente, quis ſibi metuat? aut quis vidit hiſtoriographum argumentoſum? atqui multa ab eo narrationes ita artificioſè concinnantur, ut ad novum aliquod dogma hodie controverſum, animis legentium inſinuandum, plùs Baronii narrationes, quàm Bellarmini argumentationes ſint valituræ?* Idem Exercitat. XVI. Sect. XXIV. p. m. 494. edit. opt. Londin. M. DCXIII. in fol. furta Baronii adtingens, ſcribit: *De ritibus Judaici Paſchatis ſunt in manibus eruditorum, quæ e Ritualibus Judæorum & libris Thalmudicis protulerunt in apertam lucem Paulus Burgenſis, Emmanuel Tremellius, & Joſephus Scaliger; quorum nominibus poterat Baronius ſuos Annales reddere illuſtriores, & animi ingrati crimen eâdem operâ evitare. Non enim ſuis profectò plumis, verùm alie-*

nis

νις σεμνύνεται καὶ ἐναβρύνεται ἐν τοῖς τοιούτοις. Quia hìc ſum, obiter emendo verba Caſauboni ultima, quæ in citata ſectione, p. m. 495. ita jacent, nec in erratis typographicis Exercitationibus ſubjunctis emendata video: *Pedum verò ablutio, de affectuum purgatione, & ejus, quem Theologi nominant fomitem peccati, etiam in electis poſt* peccatum *remanentem*: e Paulo noſtro Tarnovio Doctore Theologo multâ pietate atque doctrinâ inſigni, cujus in Commentario in Johannem, p. m. 939. edito Roſtochl annô M DCXXIX. in 4to hæc ſunt: *Caſaubonus habet:* etiam in electis poſt peccatum remanentem: *quorum hoc errore typographi factum puto, qui, cùm*, poſt baptiſmum, *ſcribere debebat*, poſt peccatum, *ſcripſit: illud ex opinione Reformatorum peculiari ortum autumo, qui ſolos electos in baptiſmo regenerari ſtatuunt: quanquam in hoc capite non omnes conſentiunt.* Sed, ut ad Baronium redeamus, auctore Gvil. Eſtiô, apud Hiacynthum Coqvetium in Opuſc. de Miſtione aquæ, p. 53. *poſſumus ſine injuria dicere, optimum Baronium hiſtoriæ totum intentum, intimam dogmatum Theologicorum notitiam non habuiſſe. Verumtamen illud magìs placet, virum doctiſſimum multâ lectione & ſcriptione occupatum, & ſemper ad alia properantem non ſatis conſideràſſe ſenſum quæſtionis.* Franc. Gvillimannus Epiſt. CCXVIII. earum, quas Thülemarius JCtus ad Goldaſtum ſcript. edidit

Francof. MDCLXXXVIII. in 4to: *In notis fatear*, inquit, *neceſſe eſt*, *paullò Tu in Baronium viſus es acerbior. Non quòd in ejus Annalibus multa non ſint, quæ improbem, alia, quæ etiam falſa ſciam, ſed poterat aliquid ejus & dignitati & canitiei, addo & eruditioni, quæ tamen haut quaquam tanta eſt, quanta habetur vulgo, concedi atque condonari, poſtremò illum veluti inſultandi modum, morémque inter doctos, & literarum humanâ conſuetudine emollitos nunquàm probare potui. Teſtis eſt ipſe mihi Puteanus.* Mihi, ut verum fatear, poſtquàm animum ad ſtudium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ adjunxi, Baronium legi, & hæc à Caſaubono in Dedicatione Exercitation. p. m. 32. prolata: *unus Cæſar Baronius magnis ſuis laboribus poſteà Cardinalatum meritus, omnium priorum luminibus facilè obſtruxit; vir ejus eruditionis, tantæ diligentiæ, itaque neceſſariis pleriſque præſidiis ad opus, quod parabat, inſtructus, ut mirum videri non debeat, tantam ipſi ſuas in eo genere lucubrationes apud omnes nationes nominis celebritatem peperiſſe*; examinavi, nec hic nec ille tantus mihi viſus fuit hoc quidem in ſtudiorum genere. Aut ego nihil in Hiſtoria intelligo, aut Baronius maximè neceſſariis ad eam ſcribendam, internis ſcil. deſtituebatur præſidiis. Libros, otium & ſumtus, fateor, habebat, ſed neſciebat his uti rectè, nam deſtituebatur ſufficiente lectione, erat enim valde juvenis, cùm primùm

mùm animum ad ſcribendum adpulit; cognitione ſtyli, & notitiâ quomodo rectè ſcribenda hiſtoria, Chronologiam & Geographiam ignorabat oppidò, Græcarum litterarum expers. Enimverò Rodolphus Hoſpinianus a Thoma Hollando cumprimis, regio in Academia Oxonienſi Profeſſore, Thorentano, Rainoldo, Rivio, Bondo, aliiſque, ſemel atque iterum rogatus, ut ad refellendum Baronium ingenii ſui nervos intenderet, in hunc modum exaratis litteris, quarum copiam nobis Joh. Henric. Heideggerus in Hoſpiniano redivivo, p. m. 31. fecit, amico ſuo, Theologorum Anglorum deſideria perſcribenti reſpondit: *Ad Baronium quod attinet, ut fatear libere, quod ſentio, non videtur tantus, quantus a pleriſque Hiſtoriarum imperitis habetur vulgò. Percurri ejus Annales non obiter, quantum quidem per occupationes Eccleſiaſticas, ſcholaſticas, literarias & domeſticas licuit, in emendatione & locupletatione librorum meorum de Monachis, qui brevi recudentur, & animadverti inter alia, eum viſiones, miracula, & putidiſſimas fabulas ex nugatoribus Papiſticis recenſere quàm plurimas, quæ ferè mediam partem tomorum ejus complectuntur, & ſine labore refutari poſſunt. Si enim maximè vera eſſent omnia, ut narrantur, ad confirmationem tamen ſuperſtitionum & idololatriæ Antichriſti pertinent, de quibus 2 Theſſal. II. 9. dicitur: cujus adventus eſt ſe-*

cundùm operationem Sathanæ, cum omni potentia & ſignis, ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione injuſtitiæ, &c. Deinde plurima miracula, viſiones, & alia, quæ admirantur multi, narrat ex authoribus, qui ſeculis inferioribus vixerunt, & rumores ac fabulas poſteà demum confictas ex Apocryphis & Monachorum Legendis hauſerunt, & Hiſtoriis ſine judicio & pudore inſeruerunt. Hujus generis miraculoſas narrationes, & viſiones fabuloſas apud Zonaram, Vincentium, Nicephorum, Metaphraſtem, Antonium, Surium, & alios poſteriores Hiſtoricos reperias, quas Baronius pro veris narrat, tu verò iis haud facilè ſine ſuſpicione falſitatis fidem adhibeas. Secundò Baronii propoſitum eſt in ſuis Annalibus, uti etiam Bellarmini in ſuis Controverſiis, Romanæ Eccleſiæ & Epiſcopi, ſeu Pontificis auctoritatem, jam ferè collapſam, fulcire & ſuſtinere: unde Bellarminus in Præfatione primi tomi ſcribit, hanc cauſam eſſe, cur in iſto ſuo opere nulla diſputatio ſit diligentiùs copioſiúſque tractata, nulla major, nulla inſtructior eâ, quâ ſummi Pontificatus inſtitutio & authoritas aſſeritur & defenditur. Hinc etiam Baronius omnia ac ſingula, quæ in Eccleſia acciderunt, Pontificis Romani authoritate eſſe geſta, contendit: probatos Hiſtoricos, ſicubi aliqua referant contra ſedem Romanam facientia, rejicit, in cæteris omnibus probat: Pontificum Romanorum facta quantumvis truculenta, tyrannica & injuſta excuſat, probat & defendit. Bennonem

&

& alios contradicentes, & qui auriti & oculati fuerunt teſtes eorum omnium, quæ ſcripſerunt de Pſeudoſynodis, Imperatores, Reges, Principes, Epiſcopos beſtiam illam non adorantes, hæreticos, ſchiſmaticos &c. vocat, &c. quæ tamen omnia ab Hiſtoriarum peritis facilè refutari poſſunt. Alardus Gazæus in ad Lectorem præfatione, Tomo I. Operum Caſſiani præmiſſa, Baronium perſtringit, quòd in Caſſiani vitæ curriculo deſcribendo diligentis & circumſpecti Hiſtorici partes haud expleverit. Concludo verbis Adami Tribbechovii contra Baronium ſcribentis, Cæſarem *id unicè ſemper egiſſe, ut quæ a Magdeburgenſibus acceperat, ſi cum decretis aulæ Pontificiæ minùs pugnarent, interpolata Patrum ſententiis vindicaret ſibi, ſi diſſentirent, tegeret, corrumperet, confoderet, illos imitatus, qui præeuntium veſtigia converrunt, ne ſecuti videantur.*

X. Recordor me in Diſputatione magni cujuſdam Theologi (fortè b. D. Joh. Chriſtoph. Seldii) olim legere, BELLARMINUM argumenta ſua, Chriſtum DEUM eſſe probantia, deſcripſiſſe e Diſputatione quadam Petri Piſcatoris Theologi quondam Jenenſis; quæ tamen, cùm errare poſſim memoriâ, pro certo nolim adfirmare. Vide nunc Diſſertationem noſtram II. §. XV.

XI. JOANNES BENZIUS in Compendio ſuo Latinæ Linguæ ac Theſauro Elocutionis Græ-

Græcæ Titulos Locorum communium comparandæ rerum & exemplorum copiæ accommodatorum edidit bonâ ratione e Sturmii doctrina diſpoſitos, *quam Sturmius*, auctore Dan. Georg. Morhof, 1. Polyhiſtoris Literarii, c. XXI. p. m. 260. *e Mylæo, de ſcribenda rerum univerſitatis hiſtoria cepiſſe, nonnullis creditur.* Idem, Lib. II. Polyhiſtor. c. IV. p. 342. *Chriſtoph. Mylæus*, inquit, *Univerſitatis hiſtoriam non contemnendô ordine & operâ in lucem edidit.* Et interjectis nonnullis, p. 343. *Hoc in animo olim habuit* Sturmius, *ejúſque diſcipulus* Joh. Benzius, *qui omnem Latinitatem Locis* LXXVI. *complexi ſunt; ſecundùm quem ordinem primò vocabula memoriæ imprimebant pueri, collectanea phraſium inſtituebant adultiores, ut in Latina & Græca Lingua peculiaribus libris Joh. Benzius oſtendit.*

XII. De CHRISTOPHORO BESOLDO notabis hoc e Chriſtoph. Adami Ruperti Wertheimenſis Franci, Hiſtoriar. Profeſſoris Altdorfini Obſervationib. ad Hiſtoriæ Univerſalis Synopſin Beſoldianam minorem, c. XIV. p.m. 254. edit. Franequeran. M. DCXCVIII. in 8t. *ipſum Hiſtoriam Sejani in Synopſi majore non ſuis verbis referre, ſed Baronii, quem exſcripſit in A. C.* XXXIII. *n.* 47. *ut & alibi ſæpius. Et quamvis aliquando nominare ſoleat, tamen id tam ſubdolè facit, ut neſcias, quæ Baronii, quæ Beſoldi ſunt. Qui laudare poteſt aliena ſpolia ſub*

ſuo titulo dedicantes, is æquô animô feret hanc apem noſtram an fucum? Confer quæ notavimus ad Joh. Schefferum de Informatione Litterar. c. XI. n. 7. a. p. 455, Tomô II. Methodor. noſtrar. inſcriptô de Philologia & edit. Lugduni 1696. in 4to.

XIII. DAVID BLONDELLUS Catalaunenſis, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ in illuſtri Schola Amſtelodamenſi Profeſſor olim *inde apud noſtros*, ſcribit Samuel Mareſius in brevi refutatione Præfationis Apologeticæ; quam Anacriſi Blondellianæ præfixit Stephanus Curcellæus Socinianus, p. m. 253. edit. Gröning. M DCLVIII. in 4to, *noſtri ſæculi Photius dictus eſt, quòd ex ſuis & ſui fratris Moſis Blondelli, viri pientiſſimi & diligentiſſimi, laboribus, veterum Pontificum Epiſtolas Decretales, quas jamdiu tamen nemo ſanus volebat admittere, in ſuo Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus, ſuam in veterum Canonum notitia peritiam abundè comprobâſſet, & inſuper diligentiſſimè evolviſſet Canones & Conſtitutiones Synodorum Nationalium Reformatarum, ejuſdem Moſis fratris ſui adjutus induſtriâ; Cui comprobandæ id proferre poſſim quod habeam in meo Muſæo,* (l. *Muſeo*) *ex manu Moſis Blondelli, præter Excerpta quædam Patrum Græcorum & Latinorum, & Bellarmini opuſculum* de Scriptorib. Eccleſ. *variis notis manuſcriptis elucidatum, Diſciplinam Eccleſiarum Galliæ nitidiſſimè ſcriptam, & variis ſcholiis ex*

ex Synodorum Nationalium deciſionibus illuſtratam. Idem p. 319. ibidem: *Nec debuerit*, inquit, *quiſquam hic* (in Ἀνακρίσει Blondelli famoſæ Quæſtionis: an fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices media ſederit?) *admirari tantoperè diligentiam Blondelli, qui obſervâſſet, eum omnia ſua corraſiſſe ex Onuphrio, Baronio, & Jeſuitis editoribus, ſive potiùs corruptoribus Anaſtaſii; ac niti meris argumentis negativis, aut pro lubitu fictis minutiis Chronologicis, quas faciliùs ſupponere potuit pro lubitu, quàm probare.*

XIV. JOANN. BODINUS, ut habetur in primis Scaligeranis, p. m. 21. editis Ultrajecti, M. DC LXX. in 8t. *patrem Jul. Scaligerum falsò ignorantiæ Matheſeos arguit ipſe indoctiſſimus valdéque jejunus, cùm quicquid a multis annis doctrinæ conſequutus eſt, tranſſcripſerit ex aliorum laboribus, imò & ex meo libello in Varronem de Lingua Latina, cujus paginas integras ſuas fecit fur impudentiſſimus, & in unum velut chaos congeſſit, plurima ſcribens, quæ ipſe non intelligit. Denique librum de Methodo legendæ Hiſtoriæ inſcripſit, in quo nihil minus quàm eâ de re tractat, ut titulo ſuo nullô modô reſpondeat oratio, quod quidem Verrius Flaccus notavit in Originibus Catonis, quæ nihil minus inquirunt, quàm Italiæ Origines. Porrò, ſi quis velit in illum ſcribere*, je luy dreſſeray tout ſon fait: *neque enim mihi honoris locô ducam aliquid proferre, quod meô nomine*

mine circumferatur. Il y a en marge : *Dignus eſt tamen ob elegantem ſtylum hiſtorias ſcribere.*

XV. BOUCHERII *liber flagitioſiſſimus*, ſcribit Hugo Grotius in Appendice ad interpretationem Locor. Novi Teſtam. quæ de Antichriſto agunt p. m. 59. edita Amſterd. CIↃ IↃC XLI. in 8t. *de abdicatione Henrici* III. *Galliarum regis non argumentis tantùm ſed & verbis deſumtus eſt non ex Mariana aut Santarello, ſed ex Junio Bruto (quis is ſit, ſat ſcio; ſed quia latere voluit, lateat) & ex viris doctis quidem, at factionis ejuſdem.* Quàm vera ſint, quæ Sam. Mareſius, lib. II. Concordiæ Diſcordis & Antichriſti revelati, c. II. §. 7. p. m. 51. extr. edit. Amſtelod. M. DCXLII. in 8t. Grotio opponit, ſcribens: *Nolim etiam prætermittere, quòd ipſe idem vir magnus in illo ſuo opere de jure Belli & Pacis, multa habet, quæ conſentiunt cum Junio Bruto, & ex illo ad verbum deſumpta videntur. Quare ut non debet ipſi vitio verti, quòd, quæ in illo anonymo authore bona judicaverit, ſua faceret: ſic nobis multò minus crimini dandum, quòd quæ ſecus quàm par eſſet, ille ſcripſerat, homo a nemine noſtrûm nec laudatus nec adprobatus, Boucherius ex malis peſſima fecerit, & in virus tranſmutârit*; alii judicent. Quandoquidem autem Vindiciæ contra Tyrannos, ſive de Principis in Populum, Populíque in Principem legitima poteſtate Stephanô Juniô Brutô Celta, ſive, ut putatur, Theodorô Bezâ, au-

auctore prodiêrunt Amſtelodami M DC LX, in 12. & Typographus lectori ſcribit: *Dum in eo ſum*, ut typis recuderem eruditiſſimum contra Tyrannos libellum, *ecce amicus copiam facit exemplaris, cui doctiſſimus vir, in celebri Accademia quondam Profeſſor manu propriâ inſcripſerat, non Stephanum Junium, ſed Theodorum Bezam ejus auctorem eſſe; itaque illius auctoritas tantum apud me potuit, ut Bezæ nomen in ipſo novæ hujus editionis titulo conſpici non inconſultum judicaverim*; excanduit Gisbertus Voetius & Diſquiſitionem de autore Vindiciarum contra Tyrannos conſcripſit, reperiendam in Tomo IV. Selectar. ejus Diſputationum, n. XX. p. m. 231. ſ. edit. Amſtelod M. DC LXVII. in 4to; in qua e certiori genuini auctoris indicio Orbi Europæo demum facto annô M. DC XXVIII. in Oratione funebri Theologi Genevenſis Theodori Tronchini ſuper obitum Simonis Goulartii Genevæ habita & edita apud Petr. Aubertum in 4to, conſtare putat, auctorem illius libri Hubertum Langvetum eſſe, nobilem Æduum, quos hodie Burgundos vocant, & editorem Philippum Mornæum. Do verba Tronchini de Goulartio: *Henricus* III. *Rex Francorum, curioſus omnia noſſe, quæ toto regnô dicebantur & ſcribebantur, ut eâ ratione cogitationibus & conſiliis omnium intereſſet: cùm legiſſet librum, qui* Stephani Junii Bruti *nomine Vindicias habet contra Tyrannos &*

quis

quis ſub eo nomine lateret author, avidiſſimè cuperet ſcire: poſt deluſas omnes explorationes non putavit compendioſore viâ pervenire poſſe ad ejus rei, quam inquirebat, notitiam, quàm indiciô noſtri Goulartii, quem nihil latere credebat eorum, quæ typis evulgabantur. Ad Goulartium mittit, qui ab eo rem edoceretur. Autographum authoris viderat noſter, & ſciebat opus eſſe Huberti Langveti, *viri a ſingulari pietate, doctrinâ, prudentiâ celeberrimi, quod vir illuſtris & literatæ nobilitatis decus Philippus Mornæus Thomæ Guarino typographo tradidit excudendum & publico dedit, cùm poſt auctoris obitum in ſuam poteſtatem veniſſet. Quod tamen diſtulit indicare noſter, ne ſanctiſſimi viri manes immeritò ſollicitarentur.* Et ita quoque Brutum vocat ille ipſe Voetius, lib. II. Bibliothecæ c. XXII. Append. III. p. m. 453. edit. Ultraject. M.DC LI. in 12. Primus editor opuſculi, qui nomen *Cononis Superantii Vaſconis* ſibi tribuit, in præfixa præfatione *Junium Stephanum* ita dictum, deſcribit, tamquàm *virum eruditum, prudentem, nobilem,* cum quo ante biennium ſermones de hac materia miſcuerat, & a quo libellum hunc ſcriptum poſteà acceperat, quò eum legeret, & ſententiam de eo ſuam ſignificaret. *Editio illa,* inquit loc. citatô Selectar. Diſpp. p. m. 233. idem Voetius, *incidiſſe videtur in annum* 1587. *In præfatione dicti* Cononis *edit. anni* 1589. *in* 8*o. annus notatur* 1577. *Sed hoc vel paroramati typographi,*

pographi, vel ſtudioſæ fictioni tribuendum eſt. Neque enim in Catalogis Francofurtenſibus a Cleſſio ab anno 1500. *uſque ad* 1602. *&* *Draudio uſque* 1610. *exhauſtis, nec in ſupplemento Bibliothecæ* Geſneri ab Antonio Verdier *uſque ad annum* 1585. *producto, hujus tam celebris ſcripti ſit mentio, niſi quòd Draudius, p.* 913. *hæc notat:* Stephani Junii Vindiciæ contra Tyrannos &c. Edembergæ 80. & 81. in 8t. Latinè & Gall. *Editiones illas quia nunquam vidi, non poſſum ex iiſdem de prima editione poſt obitum Langveti, qui incidit in Kal. Octobr. ann.* 1581. *per Pleſſeum procurata certi quid ſtatuere. Vix enim credibile eſt poſt Langveti e vivis diſceſſum Antverpiæ, ante finem anni* 1581. *opuſculum hoc typis deſcriptum fuiſſe. Saltem ſi propter rationes minimè leves, ut tempora tunc erant, vivente Langvetô editionem diſtulit Pleſſeus, utique annô* 1580. *ad nundinas Francofurtenſes exemplaria Edimburgenſia (an nomen loci ex rei veritate adſcriptum ſit, haud immeritò dubitari poſſet) allata; & nomen libri catalogo illatum non eſt. Sed fortè in numero* 1580. *a Draudio aut typographo erratum aliquod commiſſum eſt. Gvl. Barclajus in præfat. libri de regno &c. contra Monarchomachos, ubi dicit, ſe uſum fuiſſe exemplari Edimburgi excuſo annô* 1579. *hæc verba ſubjicit:* Sed ementitum a librario locum eſſe ſuſpicor, ne tam nefarii autoris nomen proderet. Hæc Voetius. At in Collectione Librorum, qui nundinis in Francofur-

coſurtenſib. ab anno MDLXIV. uſque ad nundinas Autumnales anni M. DXCII. venales extiterunt, Francofurti edita, M. D. XCII. in 4to, & quidem in Libris Facultatis juridicæ, ſub littera S. p. m. 292. invenio STEPHANI JUNII BRUTI Vindicias contra Tyrannos: ſive de Principis in Populum, Populíque in Principem ſumma poteſtate: Edimburgæ 1579. V. 8. Atque hic tandem eſt Stephanus ille Junius Brutus, homo in regum ac regnorum exitium natus; ſi in Vindiciis ſuis ſerio & ex animi ſententia Q. III. p. m. 116. ſ. & 264. ſ. ſcribit, idque ſe probâſſe ait: *Reges omnes regiam dignitatem a populo accipere, Populum univerſum rege potiorem & ſuperiorem eſſe: regem regni, imperatorem imperii tamùm miniſtrum & actorem eſſe: populum verò verè Dominum exiſtere. Sequi ergo Tyrannum in populum, tamquàm feudi dominum, feloniam committere, regni imperiíque ſacram majeſtatem lædere, rebellem eſſe, ac propterea in eaſdem leges incidere, & longè graviores pœnas mereri.* Ceterùm quem Brutum Grotius ſuprà, *quando latere voluit*, paſſus eſt latere; illum in Riveciani Apologetici Diſcuſſione, p. m. 91. edita Irenopoli M. DCXLV. in 8r. Pleſſiacum Mornæum eſſe dicit: *In Boucherii libris multa verbotenus deſcripta ex Junio Bruto, id eſt, Pleſſiaco Mornæo, ex Buchanano & Hottomanno notavit Gvilelmus Barclajus.* Grotium hic ſequitur Herm. Conringius de ſummæ Poteſtatis ſubjecto th. III.

XVI.

XVI. Julii Cæsaris Bulengeri *Opera de Theatri Circo*, *Lex Salica*, *Pithœi bona inter Plagiarios*; ſi credimus Scaligerianis Puteanor. p. m. 57. editis hìc Lugdun. M. DC. LXVIII. in 8t. Et p. 55. Scaliger: *Omnia ex me & aliis*, inquit ibid. *transſcripſit*, *& quædam ex ſuo addidit*, *non eſt illiteratus* Boulanger, *ſed eſt valde piger. Scripſit in Pleſſaeum*, *ſed pedanticè*, *doctiùs tamen quàm Serarius*, *quô quid ineptius?* Iſ. Caſauboni Exercitationibus bipertitas Diatribas Lugduni M. DC XVII. editas obpoſuit Bulengerus, quas confutavit Richardus Montacutius Anti-diatribis M. DC XXV. emiſſis, in quibus ipſum *magnum nugatorem* adpellat & *plagiarium*. Vindicavit Parentem hominum exiſtimationi filius Mericus Caſaubonus in Pietate contra maledicos Patrii nominis & religionis hoſtes, in qua & Roſweydo & Eudæmon-Joanni & aliis reſpondet, edita Londini M. DCXXI. in 8t. Bulengerus, ſcribit Wilh. Goeſius, p. m. 135. Notar. in Rei Agrariæ Auctores, edit. Amſtelredam. 1674. in 4to, *de Vectigalibus Populi Rom. c.* V. *inſulsè nullóque judiciô quædam auctorum noſtrorum* (i. e. Rei Agrariæ) *loca cum ſuis navis deſcripſit*, *ne minimâ quidem additâ explicatione. Nam ſi eſſent*, *quæ cuiquam viderentur difficiliora*, *eos* (f. *eum*) *ad doctiſſimas Nicolai Rigaltii notas remittit.* Et p. 166. idem ibidem: *Hæc & quædam ſequentium excerpſit*, *& cum navis*

vis ſuis in librum De vectigalibus Populi Rom. tranſtulit Jul. Cæſar Bullengerus, ſed ita ut oſtendat nihil horum ſe intellexiſſe.

XVII. De Bulengero & BARN. BRISSONIO hæc habet Joſ. Scaliger, I. Epiſt. LXIII. p. m. 198. edit. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXVII. in 8r. *In Chronologo Faſtorum Siculorum, ex cujus reliquiis menſas Euſebii noſtri inſtruam, ſunt quædam ex Georgio, quem tantoperè deſidero, & quædam, ut puto, quæ Georgius non habet. Sed Georgium fruſtra a vobis exſpectavi, quantum video, & quia periit, & quia non impetrâſſem, etiamſi in veſtra poteſtate fuiſſet. πάνυ πέπεϱωται ἡμᾶς μηδὲν ὄναϑῆ τῆς παρουσίων. Sed τούτων ἀνεχώμεθα, ἀχνύμενοι περ. Spes eſt nobis, aliunde ſuppeditatum iri Georgium. Ille qui Pariſiis ſcripſit Circenſia* (is eſt Bulengerus, indicante Paulô Colomeſiô in Opuſculis, p. m. 149. extr.) *uſus eſt illô, quem deſideratis: citat enim in ſuo opere inter alia ἀνέκδοτα. Barnabas Briſſonius bonam partem librorum Regiorum domum ſuam tranſtulit. Poſt caſum ejus, vidua avara, fruſtô panis, ſi ita loqui fas eſt, divendidit. Aliquot vidimus in iſtis regionibus.* Exſtat de Briſſonio non ſine diligentia congeſta quædam Diſputatio Dan. Gvil. Molleri Profeſſoris Altdorfini, ubi & habita & edita annô MDCXCVI. in 4to; Recenſuit in vitis Clariſſ. JCtorum vitam quoque Briſſonii, p. m. 299. D. Frider. Jacob. Leickherus: editis Lipſiæ MDCLXXXVI. in 8r. De Petro Bulengero

gero vide part. vii. Animadverſionum noſtrar. c. i § ix p. 67. ſ.

XVIII. *Cum Typographum conqueri audiiſſem*, ſcribit Baptiſta Sapinus, Conſiliarius regius in Dedicat. Brodæi notar. in Euripidem ad Fr. Maunium Burdegalenſium Archiepiſcop. CIↃ IↃ LXI. *quòd nullius præclari viri authoritate inſignes prodirent* Brodæi Adnotationes in Euripidis Tragœdias; *ac* Brodæum *noſtrum tanquàm* plagiarium *a nonnullis, qui non noviſſent, notari, aut in ſuſpicionem venire poſſe: operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi in tali re amico adeſſem, & quantum poſſem teſtimoniô meô hujus criminis ſuſpicionem diluerem.*

XIX. Gvil. Budæus in Adnotationibus ſuis in Pandectas multa deſumpſit e Commentariis Philippi Beroaldi in Appulejum de Aſino aureo, notante Hieron. Magiô, lib. i. Miſcellan. c. x. f. 37. b. edit. Venet. 1564. in 8t. Imò, *vaſtos ac laborioſos in Aſinum Commentarios reliquit* Beroaldus, auctore Andr. Schottô, lib. i. Tullianar. Quæſtion. c. xxi. p. m. 60. edit. Antverp. MDCX. in 8t. *ut flores inde legeret Budæus, quibus Juris Pandectas illuſtraret.* Vitam Budæi habes in citato Leickheri libro, p. m. 28.

XX. An Franciscus Burmannus, olim Theologus Ultrajectinus, pleraque, quæ in ſua Synopſi Theologiæ habet de Omnipotentia divina, ex Spinoſæ cogitatis Metaphyſicis

ficis deſcripſerit? diſputat Johan. vander Waeyen in Limborgianæ reſponſionis Diſcuſſione, p. m. 5. edit. Franeq. 1699.

XXI. CALVINUM ſua in Danielem ex Hieronymo habere, tradunt Scaligeriana Puteanorum, p. m. 60. edita hic Lugduni M. DC. LXVIII. in 8t. *Calvin a le mieux eſcrit ſur Daniel, mais il a le étout de ſaint Hieroſme.*

XXII. In iiſdem Scaligerianis, p. m. 64. CARRIO *eſtoit bien docte, mais meſdiſant, une ſervante le trouva ſur un Flamand beau-fils il en avoit deux avec luy. Eſt doctus, ſed ſummus fur librorum. Cujacium decepit 30. Coronatis, & Cl. Puteanum; cepit ex Gellio folium, in quo correxeram verſus Menandri, ego volui illum occidere, mihi reddidit valde timens; habebat divitem diſcipulum, cum quo deprehenſus eſt, niſi fugiſſet, malè habuiſſet.* Et p. 65. *Carrion* (f. *Carrio*) *Giſanius, Boulanger, grands larrons, plagiarii.* Carrionis indolem tangit e Douza pars v. Animadverſion. noſtr. c. II. §. x. p. 149.

XXIII. Interpretatio loci Marc. III. 21. quam primùm ex Arabica paraphraſi eruiſſe Stephanum Hubertum, Regium, dum vivebat, Arabicæ Linguæ Profeſſorem Lutetiæ, audivit Philip. Jac. Mauſſacus, in notis ad Plutarch. libellum περὶ πολαμῶν, Tom. II. p. m. 77. b. tantoperè *Caſaubono* placuit, ut eam Exercitat. XVI. Sect. XVII. p. m. 341. ſ. repetiêrit non nominatô Hubertô. Eumdem il-

lum Caſaubonum aliquando & Lipſiô uſum eſſe, conferenti parebit. Hic ut probet phraſin, *impetum cepi*, auctoribus niti, producit in notis ad Senec. de Conſolat. ad Helv. c. I. princip. tria e Sveton. in Aug. c. XLII. in Calig. c. XLIII. in Othon. c. IX. loca; quæ cum illo e Seneca repetivit Caſaubonus in ad Sveton. Aug. l. c. notis p. m. 189. b. extr. Confer eundem Lipſium in Senec. de tranquill. extr. p. m. 385. a. b. Tom. I. Oper. Senec. edit. Amſtelod. 1672. in 8t. cum Caſaubon. in Sveton. Auguſt. c. LXXVIII. I. p. m. 243. b. edit. Hag. MDCXCI. in 4to; & rurſus Lipſium in Senec. Epiſt. LXXII. p. m. 271. b. T. II. Operum Senec. cum eodem Caſaubono in Svet. Aug. c. LXXVIII. 2. p. m. 244. a. b. & iterum Lipſium in Senec. Epiſt. LIII. p. 181. b. cum Caſaubon. in Sveton. Aug. c. LXXXIII. 1. p. 254. b. An Lipſius & alii fortè non objecerint hoc Caſaubono, neſcio; ipſe ille Caſaubonus videtur occupare his verbis, in ad Sueton. Calig. c. XXVI. p. m. 397. a. reperiendis: *Atque hæc quidem noſtra eſt ſuper iſtis verbis vetus ſententia: cujus cur nos pœniteat, ne nunc quidem cauſſam videmus ullam. Etſi non neſcimus, repertos eſſe, qui vehemens ſtudium noſtrum bene merendi de literis ſecius interpretarentur, & conjecturam iſtam noſtram ἀπειροκάλως exciperent. At contrà reperti ſunt alii, qui emendationes a nobis propoſitas ſic probarent, ut eas, leviter ſolùm mutatis*

tatis ſignis, pro ſuis venditarent. Mericus Caſaubonus Filius, ut Iſaacum Patrem plagiô liberet, in Pietate, p. m. 131. ſ. editâ Londini M. DCXXI. in 8t. adfert ſequentia: *Plagium Heribertus Roſwedus Patri ob hanc rationem impingit: Pater hæc ſcripſit in* Exercitat. I. c. 7. p. 50. (nam. 5. mendum eſt.) De Antigonis (l. *Antigoni*) Regis Judæorum ſupplicio loquens Baronius, errorem errat multis etiam doctiſſimis viris communem. Putat eſſe diſſenſionem in illa narratione inter Joſephum, & Dionem, & durius ſupplicium eſſe, quod Dioni deſcribitur; cui potiùs ſe aſſentiri Baronius oſtendit. Sed falſa hæc ſententia, nata ex unius voculæ σαυρὸς prava interpretatione: Author (ſ. *Auctor*) eſt Joſephus è Strabone, cujus locum affert, initio lib. XV. Antonium πελεκίσαι Antigonum Regem Judæorum captivum, hoc eſt, *ſecuri percuſſiſſe.* Dio. lib. XLIX. ſcenam ejus ſupplicii pluribus explicans, Ἀντίγονον, ait, ἐμαςίγωσε ςαυρῷ προσδήσας, ὃ μηδεὶς ἄλλ@ Βασιλεὺς ὑπὸ τῶ Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξε. Magno errore interpretes vertetent, (ſ. *verterunt*) *cruci alligatum.* quæ mala verſio Baronio fuit fraudi. Vertendum erat, *palo alligatum*, vel *ad palum deligatum*, ut ſæpe Livius: nam σαυρὸς, ut toties obſervat Euſtathius, eſt χόλοψ, (ſ. σκόλοψ) ὀρθὸν ξύλον, *palus, lignum erectum*, unde ἀποσαυροῦν apud

Hiſtoricos paſſim, *palis cingere*, *vallos in circuitu figere*, &c. *Quid hic quæſo* (*inquit Roſuedus*) *obſervas Caſaubone*, *quod non ante Lipſius doctè & copioſe executus ſit? Omitto de voce σταυρὸς, cujus uſum varium apud Lipſium habes, ex Euſtathio, & Heſychio deductum lib.* I. *de Cruce cap.* IV. *Tantum hic dabo Lipſii verba de ſupplicio Antigoni, ut non verbó tantum Plagii dicaris accuſatus, ſed re ipſa plagiarium te eſſe totus orbis agnoſcat. Ita igitur Lipſius*, (in notis ad lib. & c. III. de Cruce p. m. 131. ſ. edit. Antv. M. D. XCVII. in 8t.) An ergo huc referas Dionis illud lib. XLIX. de Antonii ſævitia in Judææ Regem Antigonum? τὸν δὲ (δ') Ἀντίγονον, *inquit*, ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξεν. i. e. *Antigonum flagellavit cruci, ſive furcæ alligans*, (*quod nemo alius Rex a Romanis unquam paſſus erat*) *ac poſtea interfecit*. Verba ita præferre videntur: nec abhorreat ab Antonii impotentia, ut ſerviliter ſæviret (*ſævierit*) in Regem. Tamen verius puto, ut capias vertáſque *Palum* ut palo, inquam, alligatus fuerit, ſolenni Romanis more, & tum ſecuri percuſſus. Quod ipſum huic Antigono factum, etſi Dio non expreſſit, notavit Strabo citante Joſephô (nam hodie non exſtat) lib. XVI. (m. XV.) Antiquitatum cap. I. Ἀντώνιος Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαῖον ἀχθέντα εἰς Ἀντιόχειαν πελεκίζει. καὶ ἔδοξε μὲν οὗτος πρῶτος Ῥωμαίων

μαίων βασιλέα πελεκίσαι. i. e. *Antonius Antigonum Judæum Antiochiam perductum ſecuri percutit, & viſus eſt primus Romanorum ſecuri ſubjeciſſe regem.* Idem Plutarchus in Antonio. *Comparetur jam hæc Lipſiana notatio, cum citatâ Caſauboni Exercitatione, & ſtatim apparebit ex cujus poculo biberit Caſaubonus. ſi quis in eo candor (quem tamen præ ſe ferre vult) ſi quæ gratitudo fuiſſet, meminiſſet hoſpitis ſui, apud quem non tantum lautè fuerat epulatus, ſed apophoreta quoque domum retulerat.* Hæc Roſw. *En Achilleum argumentum! Quia notat Caſaubonus non laudatô Lipſiô vertendum Dionis σαυρὸν* Palum *non* Crucem, *quod olim Lipſius obſervârat, ideo Caſaubonus eſt plagiarius. ſed per Deum immortalem, quis liber erit ab hoc crimine, ſi ſic ſufficiat accuſaſſe? Sexcenta talia proferrem exempla, ſi auderem tantum mihi de lectoris patientia promittere. Non verebor dicere, vix ullum mihi poſſe dari librum, cujus authorem hâc ratione non convincam plagii. Rem vero miram, & prodigioſam! ſi duo viri docti in eadem veritate caſu aliquando conſentiant. Annon meritus eſt Caſaubonus, ut unam voculam Græcam credatur potuiſſe ſine ope alterius explicare? Sed jam ut te* totus orbis agnoſcat, *Roſwede, hominem ad quamvis calumniam impudentiâ projectiſſimâ, adſcribam verba Petri Fabri V. C. ex Semeſtrium lib.* 10. (m. 11.) *cap.* 10. *quæ cum multis annis ante illa Lipſii ſcripſerit eâdem planè mente, & ſententiâ: neceſſe eſt, aut tuum quoque*

 Lipſium

Lipſium plagii poſtules, aut te ſycophantam merum, & legi Remniæ obnoxium fatearis. Hæc igitur Faber eô quem dixi locô, qui eſt editionis Lugdunenſis anni CIↃ IↃ XCII. *pag.* 107. (m. p. 120. edit. Genev. M. DC LX. in 4to.) *Dio lib.* 48. (m. 49.) *Antigonum Judææ Regem, cui ſucceſſor Herodes datus eſt, ab Antonio ita punitum refert*, ut palo alligatus flagris cæderetur, atque obtruncaretur: τὸν δὲ Ἀντίγονον (*ait*) ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας &c. *ubi malo* σταυρὸν palum *quàm* (*quod interpres facit*) Crucem *exponere*: *ut* (f. &) ἀπέσφαξεν, obtruncare *potiùs quam* jugulare: *quoniam Antigonum ſecuri perculſum fuiſſe Plutarchus in M. Antonio*, (Tom. I. Operum p. m. 932. C. edit. Lutet. Pariſ. M. DC. XXIV. in fol.) *tradit his verbis, quæ cum illis omnino congruunt.* Πολλοὺς δ᾽ (δὲ) ἀφῃρεῖτο βασιλείας· ὡς Ἀντίγοναν τὸν Ἰουδαίων (l. Ἰουδαῖον·) καὶ προαγαγὼν ἐπελέκισεν, οὐδενὸς πρότερον ἑτέρου βασιλέως οὕτω κολασθέντος. i. e. *multis regna auferebat: ut Antigono Judæo, quem productum ſecuri percuſſit. quâ pœnâ in regem nullum fuerat antè animadverſum alium. Comparetur jam hæc Fabri notatio cum Lipſianâ, ſtatimque apparebit, in Patrem nihil ab adverſario dictum, quod in Lipſium nequeat pari jure retorqueri.* (Tu vide infrà nobis adlata §. LXV.) *Quod autem dicis, Roſwede, de Lipſianâ querelâ, ſi tibi nolim credere, mihi, ut ſpero, vitio non vertetur, qui malim tuam fidem iam ſæpe deprehenderim. Teſtes*

tuas

tuos præter unum nullos audio: ille quem nominas, is eſt, opinor, cujus exſtat de Polymathia tractatio. Audi quid de ea dicat è veſtris caſtris vir eruditiſſimus. (Philippus Jacob. Mauſſacus in Judicio de Plutarcho præmiſſo dictæ Plutarchi editioni p. m. 28.) Opus eſſet peculiari tractatione, quam fortè *cum diis faventibus volentibuſque*, ſi res noſtræ nobis otium fecerint, & Deus vitam dederit, aliquando inſtituturi ſumus, quando vir ille inter eruditos præcipuus, qui eam nobis pollicitus erat, morte præventus perficere non potuit. De If. Caſaubono loquor, in cujus meſſem falcem injecit Johannes à Wover, vir certè ingenii non vulgaris, ſed qui opus imperfectum reliquit, quamvis omne quod edidit, à Caſaubono habuerit, dum una cum eo agebat Monſpelii. *Si legiſſes, Roſwede, pulcherrimam Lipſii cum magno, & amico viro (ſic ipſe loquitur) velitationem, à quo fuerat hujus ipſius criminis inſimulatus, abſtinuiſſes ni fallor, ab hac ineptâ & abſurdâ calumnia. Omnino malè meritus es de tuo amico, & ipſe ſine dubio hanc tecum, ſi jam poſſet, injuriam expoſtularet, qui id illum velis admiſiſſe, cujus alium reum adeò graviter increpavit. Vide, pruritus & libido calumniandi quid faciat! Pari ratione, qui præfatus eſt Cardinalis Perronii libro Gallico de Euchariſtia, Patri exprobrat, multa illum, quæ à Cardinali primum didicerat, ſuis Exercitationibus inſeruiſſe. Bene*

ne eſt, ſaltem quadam adverſariorum confeſſione in illis Exercitationibus eſſe, Card. Perronio non indigna. Sed ad rem ipſam quod attinet, cui non ſtatim paulo intelligentiori de vanitate, ac commento ſuboleat? quod ſi ſemper habenda fides accuſatoribus, ipſe Cardinalis plagiarius fuerit, aut etiam neſcio quid pejus. Quid enim ſibi volunt illa Bulingeri Annalium, lib. x. *p.* 326. Altero pòſt annô in villa fontis Bellæi, mandato, ne falſa pro veris obtruderentur, celeberrimô doctorum hominum conventu, lectiſſimis totius Galliæ viris arbitris, inter Perronium Epiſcopum Ebroicenſem & Mornæum ſolemnis diſputatio apud Regem inſtituta eſt, ubi verba Patrum, quæ editô librô ſuperiori annô falſi notaveram, libris in conſpectu poſitis & diligenter expenſis, falſi convicta ſunt. *mox*, Quæ victoria ut fidei Catholicæ in Gallia munimento fuit, ita Perronio tum Epiſcopo Romæ ad purpuram evaluit, mei, à quo ante alios corruptæ indicatæ erant, quia inter literas abditus latebam, nulla ratio habita eſt, quòd lauream authori debitam, alii, quibus major ambitus fuit, præripuiſſent. Oportuit me ſemel his Annalibus juſtum dolorem exoneráſſe, &c. *Res eſſet certe iniquiſſima, ſi ab unius alicujus fide bonorum exiſtimatio penderet. Sed non pendet (Deo laus & gratia:) bonos & doctos ſua fama, & alia ſcripta a tali ſuſpicione tutantur. alii autem vix poſſunt ſua furta tam bene*

bene diſſimulare, ut ipſi ſeſe non prodant. aliter enim catuli longe olent, aliter ſues. Nos de Wowerio egimus part. VII. Animadverſionum noſtrarum, c. II. §. V. p. 108. ſ. Hìc addimus verba Dominici Baudii e Centur. II. Ep. III. p. m. 146. edit. Amſtelod. Elzevir. 1654. in 12. *Monui vos jampridem, diſſipatum fuiſſe rumorem de Wouwerio noſtro, quaſi plagio domeſtico ſublegerit potiſſimam partem ſuæ Polymathiæ.* εἰ μὴ τοῦτο ἐξ αὐτοῦ θηρεῖν ἀκηκόατε, βουλοίμην ὑμᾶς μὴ ῥᾴδιον πιστεύειν τῇ διαβολῇ. οὐ γὰρ δίκαια φρόνηλον αἰσχύνῃ καὶ μῶμον ἀνάψαι τοσούτῳ ἀνδρὶ, *quem ego virtute, doctrina, ingenio præſtantiorem pene judico, quam totam gentem & civitatem ſuam. Habet ille ſua deliquia*, nam vitiis nemo ſine naſcitur. *abundat etiam magnis virtutibus, inter quas palmarium obtinet* ἡ εὐφυΐα καὶ λαμπρότης τῆς φύσεως, *quæ dona plagio non accepit, nec cuiquam niſi naturæ ſuæ genio imputare debet.* Notanda hìc obiter ſunt elogia Caſauboni in Scaligerianis Puteanor. p. m. 66. & 67. relicta: *Præter Caſaubonum hodie nullus doctus apud Calviniſtas. Caſaubonus doctiſſimus. Ego illius diſcipulus, guſtum habeo rerum, ſed non doctrinam. Caſaubonus non ſcribit ut Itali fuse.... Eſt doctiſſimus omnium, qui hodie vivunt. Caſaubonus pauca ſcripſit in Novum Teſtamentum. Caſaubonus non debebat intereſſe Colloquio Pleſſæano, erat aſinus inter ſimias, doctus inter imperitos. Caſaubonus poteſt ſcribere in Polybium, & qui-*

dem meliùs, quàm reſpondere Baronio, qui omnia capit ex Centuriis Magdeb. *Raynoldus vel Lubbertus* (hoc neſcio, an ullus, qui quidem cognovit illius Theologi ſcripta, Scaligero ſit adcrediturus) *poſſent, ſi modò vellent & deberent: nam committit Baronius errata infinita etiam in Chronologia.* Vide, quæ diximus, part. III. Animadverſion. noſtrar. c. II. §. X. p. 78. ſ. part. XI. c. I. §. VIII. p. 120. ſ. & part. XVIII. c. II. §. III. p. 198. ſ.

XXIV. ALFONSUS A CASTRO Zamorenſis, Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ provinciæ S. Jacobi, in libris adverſus omnes hæreſes perpetuus Gvidonis Perpiniani Catalani, Ordinis Carmelit. Prioris Generalis, poſt Mayoricenſis & denique Elvenſis Epiſcopi (ut b. Dorſcheus eum deſcribit in Sylloge Semeſtri, p. m. 92.) compilator eſt Martino Kempio in Diſſertat. de Statu Armeniæ, c. V. n. I. extr. Floruit hic Gvido circa annum CIↃCCCXXX. Summa illius de Hæreſibus & earum confutationibus prodiit Pariſiis per Joh. Badium annô M D XXVIII & Coloniæ M DC XXXI. cujus in editionis fine habetur adjecta Concordia quatuor Evangeliſtarum cum perpetuis Commentariis ejuſdem Guidonis, qua de nec Bellarminus nec Labbeus meminit; licèt ille p. m. 219. de Scriptorib. Eccleſiaſt. addat: *Multa alia ſcripſiſſe fertur, quæ ad manus meas non pervenerunt*; præmit-

mittens: *Gvido natione Catalanus, Prior Generalis Ordinis Carmelitani, ac poſteà Epiſcopus Majoricenſis, ſcripſit ingens volumen de omnibus Hæreſibus: quod extat impreſſum Pariſiis. Claruit annô* 1330. al. addit b. Gerhardus in Patrolog. p. m. 629. circa ann. 1340. Tu vide Lezanam in Hiſtoria Carmelitarum & olim familiarem noſtrum Caſimirum Oudin in Supplemento de Scriptoribus Eccleſ. p. m. 597. edito Pariſ. M. DCLXXXVI. in 8r.

XXV. LUDOVICUS de la CERDA ad Tertullianum de Pallio *nobis volentibus noſtra mutuatus eſt*, ſcribit Caſp. Barthius in Animadverſ. ad Statii VI. Thebaid. 19. Tom. III. p. m. 350. Et poſtquam ille ipſe Barthius, Tom. I. Animadverſ. ad Statii lib. I. Silv. V. extr. p. m. 143. edit. Cygn. M.DCLXIV. in 4to, adduxerat Cerdæ Adverſar. c. CXIV. ſubjicit: *Quæ tamen, more ejus, aliunde hauſta putamus. Sunt ex Gevartio ad hunc locum.* Idem, Tom. II. Animadv. ad Statii I. Thebaid. 601. p. 198. *Ludovici Cerdæ*, inquit, *aut alius pari ſanè operâ atque diligentia, quamvis addita propriis aliena, illuſtratos vellem omnes Latinos Patres, etſi mixtis ad rem non pertinentibus, juſto utrâque prolixiore.* Eſt verò, ne neſcias, Tertulliani Pallium non ſine notis de la Cerda, cum hujus Adverſariis editum, quibus tamen doctiſſimi viri notis plurimum adſutum omnino putat ille ipſe Barthius Tom. I. Animadv. ad Stat. III. Silv.

II. 24. p. m. 293. Eumdem Cerdam c. CXIII. Adverſarior. uſum eſſe Ludovicô Orleanſiô ad Tacitum, idem perhibet Barthius, Tom. II. Animadv. ad Stat. II. Thebaid. v. 60. p. 283. Et p. 525. ibidem idem: *De ingenii voce multis nos ad Claudianum, qua in Adverſaria ſua ſacra retulit candidus, doctuſque & ingenioſus auctor, Ludovic. de la Cerda.* Eôdem Barthiô judice, Tom. II. Animadverſion. ad Statii III. Theb. v. 153. p. 718. *Cerdæ Adverſarior. ſacror. opus & propriis Auctori diligentiſſimo, & aliorum obſervationibus ſollerter conſtipatis meretur accenſeri utiliſſimis Antiquitati illuſtrandæ commentariis.* De Commentariis ejus in Tertullianum idem ſcribit ibidem Barthius ad Stat. IV. Theb. v. 414. p. m. 1070. *quòd ſummô ſtudiô & collectione laborioſiſſimâ effecerit Cerda, ut Tertullianum, quà mendoſus non eſt, etiam qui horrebant, immò timebant anteà, jam facilem amare etiam & intelligere poſſint.* Cauſſam autem, tantis cur Cerdam laudibus mactet Barthius, videor cognoſcere me poſſe ex his Barthii, legendis in Animadverſ. ad Stat. IX. Theb. v. 548. p. m. 1022. Tom. III. *Ludov. de La Cerda eruditus, diligens, & quod rarum nunc ubique, mihi cumulat omnes laudes, candidus Scriptor. quod decus contra plurimos ingenioſos acutóſque cum paucis habet.*

XXVI. Quem CLAVERIUM velit Henricus Ernſtius Helmſtadienſis, lib. I. Obſervat.

c. VII.

c. VII. p. m. 36. edit. Amſtelod. M. DCXXXVI. in 12. ſcribens: *Si quis e Claverii, Nebriſſenſis aliorúmque commentariis* (in Perſium) *ea auferret, quæ vetus interpres antè dixit, pauca certè bona illic remanerent*; neſcio. Stephanum Claverium in Claudianum, cum Coronide ejuſdem miſcella habeo. Jacobi Claverii characterem reliquit Janus Nicius Erythræus, Pinacothecâ I. n. III. p. 8. At de Claverio in Perſium nihil mihi compertum. Hoc de Claverio & infra de Conringio aliiſque ſic ad me ſcribere voluit Helmſtadiô Kal. Junii 1711. gravitate & honore florentiſſimus Theologus primus D. Johan. Fabricius bonarum litterarum non uſque adeò faſtidioſus; *Ut videas, quàm diligenter tua legam ſcripta, unum atque alterum ex obſervatis meis communicabo. In Diſſert. I. de Furib. librar. p. 49. §. XXX. adducitur Mollerus*, de Conringio *ſcribens. Sed Conringius non eſt auctor illius, ſuo quidem ſub præſidio habitæ diſputationis, verum reſpondens Henr. Wilh. Pape. P. 47. §. XXVI. ſcribis*: At de Claverio in Perſium nihil mihi compertum. *Indicant eum Königius in Biblioth. V. & N. p. 195. & Jo. Albert. Fabricius in Biblioth. Lat. p. 396. P. 81. §. LXXXII. de* Mari rubro *differitur, ac negatur, illud porrigi uſque ad Tigridis & Euphratis effluxus. Sed præter alios id docent Cluverius Introd. geograph. lib. I. c. X. n. 3. & c. XI. n. 2. & Druſ. in Exod.* XV. 4. Olivarius, *de quo ſermo eſt*

C 7 *p.* 86.

p. 86. §. LXXXVII. *prænomina habuit Petri Johannis*. Theodorus Gailfink, *cujus alicubi* (Exercitatione III. de Libris Scriptorum optimis, p. 48. §. XLIII. ubi tamen pro *Poſtilla Poſtillorum* legendum *Poſtillam Poſtillarum*; nam ſic habet Gailfink.) *etiam meminiſti*, *fuit Gothofredus Kilian*, *Superintendens Gluckſtadienſis*. Et in alia Epiſtola Helmſtad. a. d. x. Sept. 1713. *Claverius in Perſium juxta cum Bern. Autumno in lucem prodiit Lutetiæ Pariſiorum A.* 1607. 8. Ad quæ iſta reſpondi. *In De Furibus librariis* non cenſorem, ſed quod agendum erat, egi; relata congeſſi, at non examinavi, id enim erat extra ſcopum. An Conringius, an Reſpondens autor illius Diſſertationis ſit: parum refert; mihi Conringium Diſputationem a mente ſua alienam præſediſſe, ut eum Tacito ſtruam, ſimile vero non videtur. De Claverio in Perſium, repeto quod ſcripſi; ſit in mundo, adducant ipſum alii; ego nec vidi, nec habui; quare nihil mihi exploratum; Quod habeo, laudo; aliorum in adlegationibus me poſſe conſiſtere, diffido. Könìgii Bibliothecam aliquoties viſam, nunquam habui. Quid de ea Joh. Mollerus Flensburgenſis in Prodromo & Introductione ſentiat, ignorare non potes. In Herbinii verbis conſidera verbum *ſimpliciter*; quô conveniet cum Cluverio. In Druſii Comment. ad Difficil. Exodi loca, c. XXVI. p. m. 187. edit. Francker.

ker. 1617. in 4to huc quod faciat, non reperi; neque Exod. xv. 4. De nomine, quo de agit, non eſt hìc controverſia. Sed de iſtis hactenus.

XXVII. Quia commemorandus hìc quoque nobis eſt PHILIPPUS CLUVERIUS, e re erit adſcribere verba Joh. Henr. Hottingeri e part. I. Bibliothecarii, c. IV. p. m. 73. edit. Tigur. M. DC LXIV. in 4to, adprimè huc facientia: *Multi hodie fœtus ſibi temerè ſupponunt, quos magna cum moleſtia & labore elaborârunt alii. Qui* Hyperium *legerit, de Studio Theologico rectè formando, facilè deprehendet, quòd, qui poſt ipſum*, Villavincentius, *Auguſtinianus, de eadem ſcripſit materia, illius, etſi Theologi Reformati, vitulâ arârit. Qui* CLUVERII Geographiam Latinam *originariam cum nupera Gallica contulerit, inveniet protinus*, Maronianum *illud occini optimo* Cluverio: Sic vos non vobis. &c. *Incidi nuper in magni cujuſdam viri commentaria, ad cujus præfationem aliùs, mihi ſatis notâ, egregii Theologi manu fuit ſcriptum:* Diſs hat N. allein aus Hr. Rudolph Gualther ſel. transferiret, und gedenckt ſeiner mit keinem Worte nicht, das zu erbarmen iſt.

XXVIII. GEORG. CODINUS Curopalates παρεκβολὰς ſive Excerpta ſua de Originibus Conſtantinopolitanis e Theodori Metochitæ libro Conſtantinopolitanæ Hiſtoriæ concinnavit; putante Meurſiô apud Ger. Jo. Voſ-

Voſſium in Addend. lib. II. de Hiſtoric. Græc. c. XXIX. p. m. 543. extr. edit. Lugdun. Batav. M DC. LI. in 4to. Vide quæ de Codino diximus, part. III. Animadverſion. noſtrar. c. IV. §. VII. p. 164. ſ.

XXIX. In verbis M. Antonii Mureti, lib. XII. Var. Lect. c. XVII. p. m. 333. *Deſcripſerunt ad verbum, quæ ego abhinc viginti annos ad verſum* 163. *Catulli ex Epithalamio* n. LXII. p. m. 80. *ſcripſeram, eaque pro ſuis ſumentes, novum Proverbium concinnârunt*; intelligas GILB. COGNATUM Nozarenum, cujus Syllogen Proverbior. inſeruerunt Adagiorum operi Eraſmi. Locum, quem Muretus vult, habes in p. m. 634. b. extr. edit. Francof. M DC XLVI. in fol. Adag. Eraſmi.

XXX. De HERMANNO CONRINGIO hæc habet Dan. Gvil. Mollerus, vir multâ lectione eruditus, in de Onuphrio Panvinio Diſputatione, Altdorfii habita & edita 1697. in 4to, p. 23. § XVIII. extr. *Mihi equidem tantum non tribuo, ut de omnibus Panvinii ſcriptis nunc judicium feram: de libello autem ejus, quem de Comitiis Imperatoriis edidit, aſſerere haud vererer, ex eo tam exactam plurium rerum & antiquitatum Germanicarum hauriri poſſe notitiam, ut vix in Germano aliquo Scriptore, ante Goldaſti, Piſtorii, Freheri &c. ætatem ei ſimilem liceat invenire. Sane* CONRINGIUM *in Diſſertatione ſua de Electoribus eum haud quaquàm per tranſennam adſpe-*

ſpexiſſe in propatulo eſt. Si Cl. Mollerus intellexit Conringii Diſſertationem de Septemviris ſeu Electoribus Germanorum Regni & Imperii Romani, Helmeſtadi annô MDCXLIV. habitam & rurſus ibidem editam annô M DC LXXVI. in 4to, mirè laudat §. XXIII. ſ. Conringius, ut *elegantiſſimum*, iſtum Onuphrii libellum. De Panvinio memini me dicere part. XII. Animadverſion. c. I. §. V. n. VII. p. 55. ſ.

XXXI. ROBERTUM CONSTANTINUM in primis Scaligeranis, p. m. 12. editis Ultrajecti M. DC LXX. in 8r. his deſcribit Scaliger: *Non repurgavit Avicennam pater Julius Scaliger, quamquàm nonnulla fortè haud ſpernenda in ſuo Avicennæ libro annotaverat veluti ſcholia, quippe qui Arabicæ linguæ ſatis peritus eſſet, ut & vulgarium linguarum plures loqui ſciens quòvis aliô coætaneô ac contemporaneô. Neſcio num iſtum Avicennam cum ſcholiis nobis ſuffuratus fuerit plagiarius ille* Conſtantinus, *qui nunc Montalbanis Medicinam facit. Hoc ſcio, non excudi Venetiis.* Et in Scaligerianis Puteanor. p. m. 79. *Conſtantini Dictionarium non valet. Stephani optimum. Scaliger nullo uſus eſt. Etiam Hebraica in Geneſis lectione, didicit peculiari indagatione ſine Grammatica.* R. Conſtantin, *qui à fait un Lexicon n'a pas plus de deux ans plus que moy, c'eſt un grand fou.* Cauſſam, cur Joſeph. Scaliger ſic invectus fuerit in Conſtantinum, unà cum vita hujus exponit Petrus Daniel

Huc-

Huetius Abrincenſium Epiſcopus (uti putant) in Originibus urbis & agri Cadomenſis, ſine nomine ſcriptoris Gallicè editis Rothomagi annô MDCCII. in 8t. quas quia recenſuerunt Auctores Actorum Eruditor. Lipſ. Menſ. April. MDCCIV. p. m. 187. ex iis adſcribam verba. *Dalechampio intima amicitia interceſſit cum* Roberto Conſtantino, *iiſdem cum eo ſtudiis innutrito. Nam & hic artem Medicam ſectatus eſt, Doctor illius in Univerſitate Cadomenſi A.* 1564. *renunciatus, & Græcas literas excoluit ornavitque. Primum in Germania pedem fixit, poſtquàm univerſam Europam, ut viris doctis innoteſceret, pervagatus eſſet. Inde in patriam revocatus, ut in Cadomenſi Academia bonas literas profiteretur, eô munere aliquô tempore functus eſt; in Germaniam tamen poſteà, relictô Cadomô, reverſus, ſeu ob peſtem ac civiles motus in Gallia enatos, qui prætextus fuit; ſeu, ut Huetius nos docet, quòd textum Græcum Epiſtolarum S. Pauli publicis prælectionibus explicans, Proteſtantium, quam in Germania hauſerat, religionis ſemina ſparſiſſet, ideóque docendi provincia eſſet prohibitus. Diem obiit exeunte annô* 1605. *cùm ætatis annum centeſimum ac tertium ageret, nulla anteà virium corporis animíve decrementa expertus, ita enim de ætate ejus refert Thuanus; cui cùm fidem denegandi cauſa nulla ſit, patet, erráſſe Scaligeranorum collectorem, qui* Conſtantinum *nonniſi decem annis Joſephô Scaligerô, ex hujuſmet*

ore,

ore, majorem facit: id enim ſi admittas, cùm A. 1605. *Scaliger* 65. *tantùm annos natus eſſet, neceſſe foret, non* 103. *ſed* 75. *ſolummodò annos* Conſtantinum *vivendo exegiſſe. Inter plura, quæ luci publicæ expoſuit, opera, Lexicon Græcum Civitati Cadomenſi primùm & Jacobo Dalechampio dedicatum, facilè eminet, de quo tam diverſa hominum fuêre judicia, ut a nonnullis ipſi Henrici Stephani Dictionario Græco prælatum fuerit; a Joſepho Scaligero autem ultra modum contemtum habitúmque deſpicatui. Quorum priores uti immeritò ſic ſentire Huetius agnoſcit; ita Scaligeri ſiniſtram eam cenſuram nonniſi ex acerbiſſimo, quô* Conſtantinum, *velut fatuum, impudentem, aſinum proſecutus fuerit, odio profectam monet, tantæque a* Conſtantino *alienationis cauſſam & occaſionem Joſepho in paternis fortè ædibus ſubnatam conjicit. Fuerat enim* Conſtantinus *Julii Cæſaris Scaligeri aliquamdiu domeſticus, tantíque ab eo ob eruditionem & integritatem æſtimatus, ut ante obitum etiam librorum ſuorum ἀνεκδότων committi ipſi editionem voluerit; quæ vel ſolares ad invidiam in filii Joſephi animo accendendam potuit ſufficere.* Thuani verba ſunt hæc, ut ea exhibet Paulus Colomeſius Rupellenſis in p. m. 103. Galliæ Orientalis, editæ Hagæ M. DC LXV. in 4to: *Bezâ annoſior & ſummus Bezæ amicus* Rob. Conſtantinus; *annum* 1605. *claruit. Cadomô in Neuſtria inferiore natus, trium Linguarum peritiſſimus, & Græcæ præcipuè ac La-*

Latinæ, qui longam vitam in ſtudiis & peregrinationibus conſumpſit. Fuit & Julii Cæſaris Scaligeri domeſticus, & Commentaria in partem Theophraſti ab auctore non edita poſt ejus mortem publicavit, quod a plagii crimine, cujus aliquando inſimulatus fuit, eum liberat. Vixit ad annum uſque CIII. *integris corporis & mentis ſenſibus, & memoriâ adhuc validâ, & tandem pleuritide correptus,* VI. *Kal. Janu. defecit.* Enumerat Rob. Conſtantini ſcripta Michaël Neander in præfatione lib. de Bibliothecis CIƆ D LXV. p. 77. Illius Theſaurus rerum & verborum linguæ Græcæ prodiit annô M. D. LXII. & cum additionibus Æmilii Porti & aliorum Genevæ CIƆ IƆ XCII. in fol. B. Boeclero in Bibliographia Hiſtorico-Politico-Philolog. curioſa, §. 14. extr. p. m. 36. Theſaurus ille Roberti eſt *egregius, & ſi dicendum, quod res eſt, majori judiciô collectus, quàm Stephani.* Idem in Appendice Diſſertationum Academicar. n. III. p. m. III. *Nominandus*, inquit, *hinc eſt* Theſaurus Linguæ Græcæ Stephanicus; *& non ſine diſpendio operis factum compendium* Scapulæ. *Neque tamen nulla fuit cauſſa, cur poſteà* Roberti Conſtantini Lexicon *non paucis placeret.*

XXXII. De auctore quatuor librorum de Republica Lacedæmoniorum dubitant nonnulli, an ille fuerit NICOLAUS CRAGIUS Ripenſis Danus; e quibus Bartholom. Keckermannus, lib. II. Syſtemat. Politic. c. ult. T. II.

Ope-

Operum, col. m. 624. edit. Genev. M DC XIV. in fol. ſic ſcribit: *De Athenienſi Republ. multa Ariſtoteles in Politicis, multa etiam Plato & Xenophon ſcripſerunt, & Plutarchus inprimis. Sed omnia iſta præclarè collegit Sigonius peculiari librô de Athenienſium republ. De Republ. Spartana ſive Lacedæmoniorum Plutarchus ex profeſſo ſcripſit, & Xenophon ante eum; quæ omnia ex Xenophonte, Plutarcho & aliis autoribus diligenter ac judicioſè collecta ſunt peculiari librô* de Republ. Lacedæmon. *quem* Nicol. Cragius *edidit; clariſſimus autem JCtus & Hiſtoricus Cujacius, ut quidem audivi, ſcripſit.* At Keckermannum audiviſſe falſa, docet Henricus Ernſtius, II. Obſervation. c. XXVII. p. m. 135. quæ repeto: *Narrationi* Keckermanni *tamdiu fidem habui, donec vir incomparabilis & ſtupendæ eruditionis* Oligerus Roſenkranzius *mihi ipſius* Cragii de Republ. Lacedæmonior. *autographum monſtravit, & aliis elegantiſſimæ iſtius animæ monimentis in medium prolatis, omnem ſuſpicionem ex parum modeſto Keckermanni rumore obreptantem exemit. Cui accedit, quòd nemo ex Cujacii familiaribus, in quos ego incidi, qui Cujacium illorum librorum* de Rep. Lacedæmonior. *ſcriptorem eſſe non prorſus abjuret.* Et ipſe Keckermannus longè aliter judicat; in præfatione Diſput. IV. de Politia Spartana, Tom. II. Operum col. m. 1184. ſic ſcribens: *Unus eſt ante alios* Nicol. Craius (l. Cragius) Danus. *Is de Republ. Lacedamo-*

dæmoniorum Commentarium perutilem ſcripſit, quó ſanè ultro fatemur, nos plurimum fuiſſe adjutos, non tamen quoad formam, ſive methodum & ordinem, qui a dextro illo & pleno divaricatur: ſed materiam ipſam, id eſt, Leges, ſtatuta, conſuetudines & ſollennia alia Lacedæmoniorum. Quos certum eſt, ſingularia multa habuiſſe præ aliis totius mundi gentibus ac Rebuſpublicis: præſertim quo ad virtutum exercitia & ſeveritatem ad res bellicas. Caſpar Barthius in Animadverſionib. in Claudian. Conſulat. Flav. Manl. Theodori v. 152. & 154. p. m. 149. a. edit. Francof. MDCL. in 4to hoc de Cragii opere ita ſentit: *Doctiſſimi viri, Nicol. Cragii de Republ. Lacedæmoniorum opus cur contemnant, qui poſt eum meliora non invenerunt, nondum nos docuerunt.* Si Cragius Reformatæ religioni fuiſſet addictus, fortè Keckermannus nihil ſcripſiſſet nec audiviſſet: cùm verò ſit Danus & Lutheranus, facilè talia audivit & divulgavit: Utor editione Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LXX. in 8t, quâ meliorem neſcio. De ea, quam Tomo v. Theſauri Antiquitatum Græcarum indiderunt, vocarúntqüe *auctiorem & emendatiorem*, dicere nequeo, cùm eô deſtituar. Judicium D. Medici Scoti Davidis Abercrombii Sect. XLIV. p. m. 304. ſ. Furis Academici latum: Nicolai Cragii *minor licèt culpa videretur, utpote qui rempublicam* Lacedæmoniorum *incerti parentis partum ſibi adoptâſſet; infamem tamen* furis

ris Academici *Notam effugere nequiit*: iniquius eſſe ſemper arbitratus ſum.

XXXIII. DAMASCENUS initiô libri de Hæreſibus omnia exſcripſit ex Epiphanio, auctore Theophylô Raynaudô Ceſpitellenſi Jeſuitâ in Theologia Naturali, Diſtinct. VII. Q. I. Artic. II. §. 37. p. m. 657. a. edit. Lugdun. M. DC XXII. in 4to.

XXXIV. Qui hæc poteſt capere e Scaligerianis Puteanor. p. m. 97. *Monſ. Donza avoit d'eſcrit de mes lettres, que je penſois avoir eſcrites*: erant quidem meæ, ſed non ſcripſeram. *Monſieur du Pleſſis l'a tout mis dans ſon livre*: non curo, quòd me non nominaverit: Erat de Purgatorio; Hæc, inquam, qui poteſt capere, capiat.

XXXV. Judice Rivetô, Exercitat. XV. in Geneſ. II. Tom. I. Operum, p. m. 64. b. edit. Roterod. CIƆ IƆC LI. in fol. JOH. DRUSII *induſtria & diligentia non poteſt ſatis laudari; duo tamen in eo poſſunt & debent requiri, ingenuitas in iis, per quos profecit, laudandis, modeſtia in aliis carpendis & reprehendendis. Hoc habet, quòd ſæpe tanquàm a ſe primùm animadverſa & magnô labore quæſita proponit, quæ alii ante ipſum notârunt, ut hôc locô; quid habet, quod non anteà Mercerus animadverterit, & tamen ne nominat quidem?*

XXXVI. ANDREAS EBORENSIS in lib. Memorabil. exemplorum multa defloravit e Gvi-

Gvidone Bituricenſi, quem Joan. Freinshemius citat in Comment. in Curt. x. iv. 17. Thomæ Reineſio, Epiſt. l. ad Rupert. p. m. 462. eſt Gvido de Fontenayo Bituricenſis, qui librum Exemplorum ſcripſit.

XXXVII. Euthymium tacitô Chryſoſtomi nomine, pro more, hunc exſcribere, ait Paulus Colomeſius in Obſervationib. ſacr. p. m. 99. edit. Londin. 1688. in 8t.

XXXVIII. De Jac. Fabro ſcribit Godefridus Tilmanus Cartuſiæ Pariſienſis Monachus, D. Joh. Groppero in duas Chryſoſtomi Homilias a ſe Latinitate donatas, Pariſ. 1554. apud eumdem Colomeſium, in p. m. 10. Galliæ Orientalis: *Fideli relatu Franc. Vatabli didici*, Jac. Fabrum Stapulenſem *ex Georgii Pachymeræ Paraphr. in Dionyſ. Areopagitam magna ex parte expiſcatum eſſe ſua ſcholia. Id potiſſimùm deprehendi collatione ſcholiorum in Opus περὶ θείων ὀνομάτων.*

XXXIX. De Francisco Forerio memini me agere part. x. Animadverſion. c. ii. §. viii. p. 181. hic addo verba Thomæ Malvendæ, Tom. ii. de Antichriſto, lib. ix. extr. c. ult. p. m. 136. a. (numerus, ne neſcias, vitioſus eſt, omnéſque numeri paginarum a p. 199. in mendo cubant.) *Vides Lector manifeſtum plagium, quæ ſunt* Förſteri, *ſua facit* Forerius: (utriuſque enim verba producit) *quod aliàs ſæpiùs hic facere conſuevit.* Et lib. xi.

c. viii.

c. VIII. p. m. 182. a. idem Malvenda ibidem: *Inſignis hic* (Forerius) inquit, *ſemper Förſteri plagiarius.* Ita de Dominicano Monachus Ordinis Prædicatorum ſentit.

XL.* De FRANCISCANIS iſta lego in Scaligerianis Puteanor. p. m. 301. *Pater habuit Politica Ariſtotelis Græca cum levibus ſcholiis nullius momenti, habuit multos libros mſſcr. quos eripuerunt nobis* Franciſcani. *Pater valde oderat Italos, & illi ipſum oderant.*

XLI. LEONARDUS FUCHSIUS, teſte Joſ. Scaligerô in primis Scaligeranis, p. m. 57. *nihil aliud quàm farrago variorum locorum hinc inde transſcriptorum. Infans planè deprehenditur in ſuis ſtirpium Commentariis.*

XLII. ANTONIUS GALLONIUS Romanus in libro de Martyrum cruciatibus, quem habeo non Antverpiæ, ut falsò exſtat in titulo, ſed Amſtelodami editum 1668. in 12. Baronium in notis ad Martyrologium fere ſemper ſequitur. Vide Caſp. Sagittarii librum de Martyrum Cruciatib. c. XVII. §. XXIX. p. 200. editum Jenæ M. DC LXXII. in 4to.

XLIII. De GILB. GENEBRARDO, patriâ Arverno, Profeſſione Benedictino, Profeſſore Hebrææ Linguæ Pariſienſi regio, ſcribit Petrus Faber Sanjorianus, Toloſanus Præſes in Dodecam. p. 144. edit. CIƆ IƆ XCII. ex occaſione duorum locorum Auguſtini & Proſperi ad v. 7. Pſalm. CIX. juxta vulgatam,

D explí-

explicationem facientium apud Paul. Colomeſium in Gallia Orientali, p. m. 89. extr. ſ. *Hos a me citatos cùm hic legiſſet Genebrardus in Authentico nondum excuſo, quod ipſi a me Cl. Villarius antequàm typis mandaret, bonâ fidè commodaverat, tamdiu id penes ſe habuit, donec ſuorum in Davidem commentariorum quarta (quam adornabat) in manus hominum veniret editio; in qua demum iſtos itidem citavit authores graviſſimos, nec ſecutus eſt tamen; credo, ne quidpiam didiciſſe commonſtrantibus nobis, aut de ſententia deceſſiſſe videretur.* Joſeph. Scaliger lib. III. Epiſt. CCXLIII. (quam uſque ad jam citanda verba repetivit Johan. Buxtorfius, quippe ad ſe ſcriptam, poſt Dedicationem Inſtitutionis Epiſtolaris Hebraicæ Baſileæ editæ CIↃ IↃC X. in 8t. p. m. 9. ut ego manu meâ adſcripſi; ſed, ut dixi, mutilam) p. m. 523. edit. Lugdun. Bat. CIↃ IↃC XXVII. in 8t. hæc de Genebrardo: *Quod Genebrardus Monachus de Rabbinorum lectione magis tentavit, quàm abſolvit, id, ut tu meliùs judicare potes, nihil aliud eſt, quàm cento ex alienis pannis conſutus. Longè inſtructiorem magiſtrum poſtulat id opus, quàm Genebrardum; qui obtrectando plus famæ apud ſui ſimiles, quàm docendo apud Studioſos peperit ſibi.*

XLIV. Gulielm. Godelevæus ipſa verba viri docti, Nicolai Gerbelii, e lib. VI. Græciæ illuſtratæ p. 237. tacitô nomine auctoris, in Livianas notas ſuas ad lib. XXXIII. retulit.

tulit. *Inconſultè quidem ſatis*, ut habet Barthius, Tom. III. Animadverſion. in Statii VII. Thebaid. v. 107. p. m. 662. *cùm Plinio adſcribat ea verba, quibus Papinium enarrare voluit Gerbelius.*

XLV. Idem Barthius, Tom. II. Animadverſ. in Statii III. Thebaid. v. 661. p. m. 853. de JOSEPHO ANTONIO GONSALIO DE SALAS: *Scitiùs*, inquit, Hiſpanus Petronii interpres, *qui nobiſcum ſentit in malè intellecta Lutatii voce, ſententiam tamen noſtram toto quinquenniô, poſtquàm in vulgus edita fuit, Commentis ſuis ſequendo.* (in p. m. 2. Prælud. in Petron.) *Noſtra enim* Adverſaria, *quorum lib.* XXXVI. *c.* XVII. *primi nos ita cenſuimus, edita ſunt, primò quidem volumine ſuô, annô* M. DC. XXIV. *Petronius Antonii Joſephi Salaſii* M. DC. XXIX. *Quid dicemus? virum doctum prudentémque toto illo quinquenniô non incidiſſe in adverſaria noſtra, qui tamen minutos noſtros libros ad ſuum Commentarium inſpexerit, tantóque anteà tempore.*

XLVI. THEODORUS GRASWINCKEL Delphenſis JCtus, ſi Scriptori Bibliographiæ curioſæ, p. m. 124. credimus, *exiguam laudem meruit opere* de Libertate Veneta, *dum omnia e Mutio deſumpſit, cùm tamen earum rerum autores exſtent Mutiô longè vetuſtiores.* Vide nobis dicta part. III. Animadverſion. c. I. §. VIII. p. m. 19. ſ. Marcus Zuer. Boxhornius in ad Graſwinckelium epiſtola, p. m. 47.

iſtum librum hoc pactô laudat: *Et infinita eruditio tua, & illuſtre ingenium, & cætera magnæ dotes qualecunque hoc officium* (dedicationis) *imponebant. De quibus jam omnes poſſunt teſtari. Et præſertim Italia agnoſcit, inque ea potiſſimum æterna Reſpubl. Venetorum, pro cujus primigenia & ſemper duratura libertate eas vindicias ſcripſiſti, quas meritò omnes admiramur, & nemo improbabit præter illos, quibus invisum eſt Libertatis nomen, quia tantum ſervire didicerunt. An non inſtar omnium videri debet, illuſtriſſimo heroi Dominico Molino te tuâque probari? in cujus cæleſtium virtutum & ſummi nominis procudenda æternitate certatim contendunt omnes eruditi.* Joh. Freder. Gronovius in Dedicatione Diatribes in Statii Silvarum libros, p. m. 7. laudatum ad Graſwinckelium ita ſcribit: *Sed enimverò cùm propiùs te inſpicio, & velut e Specula illas dotes tuas contemplor, his omnibus partim naturam, partim induſtriam tuam te inſtruxiſſe crediderim, non tam ut magnus eſſes, ut egregius, nec tibi fama mentiretur; quàm ut auguſto operi* De Libertate Veneta, *cui in Æternitatis poſtibus dedicando natus videris, ſufficeres, de quo tum demum verum judicium fecerunt illuſtriſſimi Patres, ille regum Senatus & Romanæ magnitudinis imago, cùm majora eſſe merita tua, quàm ut vicem accipere poſſes, cenſerent. Dignus tamen profectò vigiliis tuis honor, faſtis ſcribi perpetuis inter ingentia nomina, quorum virtute Sereniſſima illa*

Adria

Adriæ pacta ſponſáque tot ſeculis ſtetit, & ad hoc viridis eſt & floris inexſtincti. Taceo quos cum aliis habes communes: in quibus tamen hoc ſingulare & eximium eſt, quòd eos non in alienam tibi gratiam, ut peregrino & ignobili vixque illis cognito, qui dederunt, ſed ob jus Libertatis & majeſtatem imperii orbe Chriſtianô inſpectante, ad Veritatis tribunal aſſertam & vindicatam magnifici egregii facinoris tui æſtimatores tribuerunt. Sed de ipſo immortali illo monumento ſi aliquam judicandi ſortem mihi concedis, (& facis, ſcio:) ita arbitrabar, omne te punctum tuliſſe, neque emendatiſſimo operi quicquam poſſe addi: niſi magnificum & tuum, Graſwinckeli, eſſet, vincere teipſum, & ubi alii ceu in ultimis ſubſiſtunt, ea demum carceres tuos exiſtimare. Nolo hìc, etiamſi multis non magni momenti videbitur, Sixtini Amamæ prætermittere teſtimonium juveni Graſwinckelio datum in epiſtola ad Cabeljavium inſerta hujus (Johannis Cabeljavii J. U. D.) libro adoptivo, p. m. 19. (numerum autem adſcripſi) edito Holmiæ CIƆ IƆCXXVI. in 8º. quem ob Amamæ epiſtolas & Dan. Heinſii ſervo: *Ante menſes paucos hìc apud nos promoti quidam Graſwinckel Delphenſis, egregiè litteratus, & item alter Stelandius, Delphenſis idem, quibuſcum tecum fortè intercedit aliqua notitia. Collegam habet D. Faber* Hectorem Bouricium, *virum inſignis eruditionis, & quô neſcio an quiſquam poſt D. Heinſium terſiùs ſcribat.* Quæ ul-

tima ideò adjeci, quia Bouricius multis ignotus eſt.

XLVII. De GREGORIO NYSSENO productis Nemeſii verbis e c. II. de Natura hominis: Θαλῆς μὲν γὰρ πρῶτος τὴν ψυχὴν ἔφησεν ἀεικίνητον καὶ αὐτοκίνητον, Πυθαγόρας δὲ, ἀριθμὸν, ἑαυτὸν κινοῦντα i. e. *Thales enim primus dixit, animam moveri ſemper & per ſe moveri, Pythagoras verò numerum adſeruit ſeipſum moventem*; Johannes Meurſius, c. I. Denarii Pythagorici (quem habes Tomô IX. Theſauri Græcar. Antiquitatum, Lugduni Batav. annó CIƆ IƆ CCI. edit. in fol. col. m. 1329. ſ.) hæc habet: *Quæ totidem verbis apud* Gregorium Nyſſenum *occurrunt in* Oratione de Anima, *quæ tamen tota, ut in præſens per occaſionem id moneam, tranſſcripta eſt ex* Nemeſiii libro citato, duobus capitibus, ſecundo ac tertio; *niſi quiſquam dicere velit*, Nemeſium *potiùs duo hæc capita in rem ſuam adcommodata, ex* Gregorii Oratione *tranſſcripſiſſe*. (Sed hoc mihi non admodùm probabile videtur) *Porrò, ut illud quoque moneam, apud* Gregorium *minùs rectè ἀκίνητον* immobile *ſcribitur: nam quô pactô ἀκίνητος* immobilis *eſſe anima poteſt, ſi eſt ea αὐτοκίνητος* per ſe mobilis?

XLVIII. Pleraque quæ HUGO GROTIUS in libris de Jure B. & P. de Judæorum doctrinis adfert, e Wilh. Schickardi Miſchpat hauſiſſe deprehenditur celeb. Wagenſeil. ad Sota, p. m. 557. Auctore Gisbertô Voetiô in Ther-

Therſite Heautont. p. m. 243. edit. Ultraject. M. DCXXXV. in 4to Grotius in dicto tractatu de Jure Belli, *non dedignatur, Theologos ibi citare, & ex iis (Leßio, ut opinor, inquit, de Juſtitia & jure) non pauca mutuare.* Quod verbum *mutuare* invitô Laurentiô Vallâ ſic uſurpat Voetius, quippe qui lib. v. Elegantiar. c. XXV. p. m. 470. edit. opt. Colon. M. D. LXIII. in 8t. *Fœnero tibi dicitur,* inquit, *ſicut mutuo tibi: Fœnĕror abs te, ſicut mutuor abs te. Qui mutuat pecuniam, dat mutuò. Qui fœnerat pecuniam, dat ad uſuram. Qui mutuatur pecuniam, mutuò accipit. Qui fœneratur pecuniam, ad uſuram accipit.* Sed ſcio Valer. Maximum, III. IV. 2. extr. ſcribere: *Præclaris virtutibus effecit, ne hæc civitas pœnitentiam ageret: quòd regem a finitimis potiùs mutuâſſet, quàm de ſuis legiſſet.* Sed hæc alîus loci ſunt; redeamus ad Grotium; quo de & Boeclerus in Commentar. ſuum dictum in Grotii Jus Belli & Pacis, p. m. 13. ſic præfatur: *Grotius multa debet Ciceronis libris de officiis, etiam ubi non oſtendit.* P. 18. *Inter Oratores Grotius eximiè adamavit* Dionem Pruſæum Chryſoſtomum, *civilem, preſſum, acutum Oratorem; ex quo quantum peti poßit, paucis notum eſſe credidit.* Et p. 23. Leſſii, Molinæ, Medinæ, *frequens & celebre nomen occurrit.*

XLIX. LILIUS GYRALDUS *Dialogum,* inquit Jo. Anton. Caſtellionæus JCtus, Theologiæ doctor & vicarius perpetuus Abbatiæ

S. Vincentii in Prato Mediolan. Sect. I. Faſc. I. Antiquitatum Mediolanenſ. col. m. 377. B. edit. noviſſ. Lugdun. Bat. in fol. *ea de re conſcripſit*: (de Labaro ſcil. quem habes Tom. II. Operum Gyraldi, Dial. XXV. col. m. 906. ſ. edit. Lugdun. Batav. M. DC XCVI. in fol.) *at in quo nihil ſuper eruditionem* Franc. Bernardini Ferrarii, *Ambroſiani Collegii Doctoris eruditiſſimi, aut nihil præter dicta videtur in medium adtuliſſe. Alciatum verò cùm damnat* in C. tit. de Præpoſitis Labarorum, *rectè id feciſſe cenſeretur, ſi quid ipſe melius literis conſignâſſet.* At eruditior eſt Gyraldus, quàm ut Caſtellionæus de eo vel ejus doctrina judicare poſſit. Sanè Caſtellionæi Antiquitates priſcam eruditionem non produnt.

L. FRANCISCUM HARÆUM e Ponto Heutero multa deſcripſiſſe conferenti parebit.

LI. HAYMO Epiſcopus ante DCCC. annos Halberſtadienſis, auctore Thomâ Malvendâ, Tom. II. lib. IX. de Antichriſto, c. XXIII. p. m. 192. a. *ad verbum Ansbertum deſcripſit, uti Ansbertus Primaſium.*

LII. HELIODORUM, ſeu DAMIANUM LARISSÆUM in Opticis multa ex Herone ad verbum deſcripſiſſe, tradit Iſaacus Voſſius in Obſervationib. ad Catull. p. m. 245. editis M. DC LXXXIV. in 4to Hagæ, ut mihi videtur, nam locus non eſt additus.

LIII. HIERONYMUS *a Tertulliano multa ſæ-*

pe

pe mutuatur, ſcribit Petrus Pithœus, II. Adverſarior. c. VIII. p. 105. edit. Baſil. M. D. LXXIIII. in 8t. *Hieronymum conſtat, totum ferè hunc* de claris rhetoribus libellum Svetonii *in Chronicon Euſebii retuliſſe*; verba ſunt Caſauboni in Sveton. lib. de claris rhetorib. c. II. princ. p. m. 727. b. edit. Hag. M. DCXCI. in 4to; idem ibidem, p. m. 730. b. extr. *Multa hodie*, inquit, *in hoc libello* (Sveton. de claris rhetorib.) *deſiderari, ex indice apparet, quem in vetuſtis codicibus repertum hujus editionis fronti præfiximus.* (In mea editione Hagenſi ſive Trajectina mihi nondum obvenit index iſte, forſan omiſſus, at p. m. 731. in notis Achill. Statii eum reperi) *Quoniam autem B. Hieronymus, ut anteà dicebamus, quæcumque de claris Oratoribus in Euſebii Chronico adnotavit, ea ab hoc ſcriptore fuit mutuatus; nos viciſſim, quæ huc pertinebant, ex illo præſtantiſſimo opere deſcripſimus, atque infra ſubjecimus.*

LIV. CORNEL. JANSENIUS Epiſcopus Gandavenſis in Concordia c. XCVII. exſcripſit Cajetanum in Luc. XVI. 23. Si credimus Theophilo Raynaudo Ceſpitellenſi Jeſuitæ in Theologia naturali, Diſtinct. VIII. Q. IV. Artic. IV. §. 262. p. m. 995. a. edit. Lugdun. M. DCXXII. in 4to. Vide infra part. III. §. XL.

LV. JORNANDES, memorante Carolô Paſchaliô extremô lib. IV. Coronarum, p. m. 278. edit. Lugdun. Bat. M. DC LXXI. in 8t.

ſcripſit librum de ſucceſſoribus, *ubi leguntur ipſiſſima verba & ſententiæ puriſſimorum ſcriptorum, e quibus ſua conſarcinavit; quibus ubi deſtituitur, cùm, inquam, pervenit ad citeriora, & proxima ſuo ſæculo tempora, tum verò e Latino totus recipit ſe in Gothum.*

LVI. ISIDORUS *multa ex veterum libris, quibus hodie caremus, eáque optima tranſſcripſit, ideo illum velim habere*, ait Joſeph. Scaliger in primis Scaligeranis, p. m. 65. *Doctis utiliſſimus eſt:* Barthio, Tom. II. Animadv. ad Stat. II. Thebaid. p. m. 273. extr. Iſidorus *ſcribit ex Servio, de ſuo more, aliiſque.* Confer eumdem ibidem p. 320. 582. & Tom. III. in Stat. VI. Theb. v. 131. p. 400. In v. 241. p. 437. idem Iſidorum *perpetuum Servii exſcriptorem* vocat. Adde p. 1168. Auctore Joanne Ludovicô Vive Valentinô, III. de Diſciplinis Tradend. p. m. 307. edit. Colon. M. D. XXXII. in 8t. Iſidorus Hiſpalenſis *adfert nonnulla ex antiquis hauſta haud prorſum aſpernanda, præſertim quòd fontes illi non pervenerunt ad hanc ætatem.* Verùm, quod Tom. II. ad Statii Theb. II. v. 78. p. 303. adfert Barthius: *Iſidorum hôc locô nihil juvant doctiſſimorum hominum notæ, quas* Joannes Grialius *collegit, ſunt autem pleraque ſummi viri*, Petri Ciacconii, *ut videre eſt ex iis, quæ de eo commentatur Andr. Schottus noſter ad Pomponium Melam;* adhuc effugit meam diligentiam. Bis, ſed obiter, percurri Schotti Adnotationum in Pomp.

Pomp. Melam Spicilegium; incaſſum, ubi tamen, p. m. 25. edit. Antverp. M. D. LXXXII. in 4to, Pet. Chiaconum Toletanum *unum e* III. *viris literariæ R. P. C. jure* adpellat Schottus: *qui cùm in patria, ut fit, ſorderet, Romam ingenii ſui doctrinæque digniſſimum theatrum repperit. Non enim alibi, quod ea diſciplinarum omnium parens ſit, majori in precio præſtantiſſima ingenia habentur.* Ultima Schotti verba redarguit Janus Nicius Erythræus Pinacothec. I. n. CIX. p. m. 184. edit. Colon. CIↃ IↃC XLV. in 8t. in & de Aldo Manutio ſequentia memoriæ prodens: *Advenienti* Aldo *hoſpitium & quotidianus cibus in ædibus Vaticanis eſt præbitus. Sed cùm ſæpiùs, ſtudia ſua jacere, ingenium languere, eas artes, quibus ſponte ſuâ, & patris diligentiâ, operam omnem dediſſet, nullius utilitatis & commodo cedere quereretur; humaniores literas in Gymnaſio Romano publicè docendi provinciam, Thomæ Corxi morte, magiſtrô deſtitutam ac vacuam, ſumma omnium voluntate ſtudióque obtinuit, quæ eſſet quaſi theatrum illius ingenii, ac vocis eruditæ, ac Romanis auribus digna. Sed tum licuit admirari, vel potiùs deplorare abjectam depreſſámque bonarum artium conditionem; tum licuit, ſed non ſine fletu, adſpicere humanarum literarum precia, quæ olim veteres ferebant in cælum, juventutis, quæ tum erat, æſtimatione ſic concidiſſe. Etenim cùm illi olim eloquentiæ adipiſcendæ gratiâ, maria tranſmitterent, longiſſimas peregrinationes*

nationes ſuſciperent, Græciæ Aſiæque civitates obirent, ut exquiſitos in eis dicendi magiſtros invenirent, adirent, ſalutarent, atque eorum ex ore, tamquam ex fonte, eloquentiæ præcepta haurirent; contrà iſti, quem ſine itinerum moleſtia, ſine ſumtu, ſine labore, habere poterant, Græcæ Latinæque eloquentiæ doctorem eximium ac ſingularem, contempſerunt; neque eidem, utriuſque linguæ copiam pollicenti, aures admovere voluerunt. Nam, quâ horâ, diſcipulorum multitudini, eloquentiæ præcepta tradenda erant, a corona derelictus, ante ſcholæ oſtium cum uno aut altero obambulabat. Nec melior ſors optimi & eruditiſſimi inter Manutios Pauli fuit, qua de ipſum Aldi filium audiemus ex Epiſtola ad Johan. Cratonem, quam primus edidit Dan. Georg. Morhof. lib. I. Polyhiſtoris extrem. p. m. 319. *Sed quia virtus, licèt a ſe ipſa pendeat, externa tamen quædam non recuſat, propterea mediocritatem earum rerum, quæ fortunæ bona quidem vocant, nunquàm contempſi, elaboravi etiam, ut conſequerer: & planè me conſecutum credidi, cùm decem abhinc annis Romam veni. Quis enim aliter crederet, cùm a Pontifice maximo vocarer, cùm hìc vigere dicerentur, ac ſemper anteà viguiſſent artes illæ, quibus ab ineunte ætate meum ſtudium dederam: cùm ipſum denique nomen Urbis Romæ nihil tenue, nihil anguſtum, ſed ampla & magna polliceri omnia videretur? Hòc locô non faciam, ut aut de meis ipſe meritis detraham, quod certè non debeo, non enim commiſi,* ut

ut meam in re mandata diligentiam, operam, fidem requirere quiſquam jure poſſit; aut alios carpam, quod ab inſtitutis meis longiſſimè diſtat; tantùm dicam, & id ipſum invitus: neſcio quô fatô mihi fontes aruiſſe, qui profluere ſolebant; benignitatem, quæ anteà patebat, ita clauſam in me eſſe, non modò, ut nihil ejuſmodi, in quo vel copia vel ſplendor ineſſet, ſed ne mediocritas illa quidem, quæ repellit incommoda, quæ honeſtatem ex parte ſaltem aliquâ tuetur, mihi adhuc obtigerit. In tanto pretio, ſcilicet, habita ſunt præſtantiſſima Manutiorum ingenia Romæ. In Iſidori Hiſpalenſis (ut ad hunc redeam) Operum editione, Madriti curata annô CIƆ IƆ XCIX. rariùs proſtante, Joannis Grial editoris, viri doctiſſimi, ut in Paralipomenis de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Obſervationibus Sacris Londini editis, 1688. in 8t. ſubjunctis, Paulus Colomeſius, p. 248. ait: & aliorum Præfationes legas, in editione Pariſienſi, Jacobi du Breul, Monachi Benedictini, Typographorum avaritiâ expunctas.

LVII. JULIANUM TOLETANUM, lib. I. Prognoſticor. c. XVIII. ſibi verba Auguſtini c. I. de Civit. DEI, c. XVIII. pro ſuis adſciviſſe, memorat Barthius in Animadverſionib. in Claudian. II. de laudib. Stilic. v. 91. p. 240. a. edit. Francof. M. DC L. in 4to.

LVIII. JULIUM AFRICANUM *doctum cumprimis & antiquum ſcriptorem ex Æneæ Commentario tactico multa capita* ἔπ@ πρὸς ἔπ@ *deſcri-*

fiſſe, iiſque uſum pro ſuis in libro de bellorum adparatibus, ſuis locis infra probabimus, præfatur in Æneam Iſ. Caſaubonus, p. m. 1639. edit. Amſtelod. 1670. in 8r. Et p. 1080 *Julius*, inquit, *Africanus*, c. XLVI. *Æneæ verba leviter immutata pro ſuis deſcribit.* At quod p. 1727. habet: *Julii Africani opus eruditum*, cujus etiam antè meminimus, *in noſtro codice inſcribitur*: περὶ Πολεμικῆς Παρασκευῆς. *in aliis*: Πολεμικῶν Παρασκευαί. *in regio* Κεστοί; *de qua inſcriptione & auctoris ætate multa alibi diſſerimus*; cjus iſtis in notis Caſaubonum *antè* meminiſſe, niſi præfationem velit, reperire non potui. In Commentar. in Sveton. Jul. c. XXXI. p. m. 42. b. edit. Traject. 1691. in 4to hæc reliquit: *Julii Africani elegantiſſimum librum de Bellico apparatu nondum luce publicâ donatum habemus.* Et paucis interjectis de fabrica laternarum: *Politianus*, inquit, *in Miſcellaneis* (c. XV.) *indicem hujus libri laudat* De Ceſtis, *quam etiam inſcriptionem invenimus ei operi præfixam in codice antiquo bibliothecæ regiæ. Meus, quem olim Andreas Darmarius mihi vendidit, ſic*: Πολέμων Παρασκευαί. *Sed de ſcriptis Africani, & utrum, quæ veteribus memorantur ſub nomine Africani, unius fuerint ſcriptoris, an plurium, accuratè alibi, volente Dominô, ſumus acturi.* Id autem, ubi Caſaubonus exſequutus fuerit, ignoro. Ger. Joan. Voſſius de Scientiis Mathematicis, c. XLVIII. §. XV. p. m. 293. edit. Amſtelæd. CIↃ IↃC LX.

IↃↃLX. in 4to: *Sub M. Antonino*, inquit, *Eliogabalo claruit* Julius Africanus, *vir ingenii, variaque doctrina: cujus in variis Bibliothecis extant* περὶ πολεμίων παρασκευαί; i.e. Præparationes, ſive fabricæ militares. *Eſt hic, ut puto, Africanus ille, cui nimium quantum in Chronicis debet Euſebius Pamphili, quemadmodùm dixi lib.* II. *de Hiſtoric. Græc. c.* XV. *Nec argumentum de machinis bellicis alienum ab eo putabit, qui omnigenam illius doctrinam ſciat; ut* Κεστῶν *libri oſtenderunt: de quibus ſic Euſebius, lib.* I. *Chronicorum:* Ἀφρικανὸς τὴν ἐννεάβιβλον τῶν Κεστῶν, ἐπιγεγραμμένην πραγματείαν ἰατρικῶν, καὶ φυσικῶν, καὶ γεωργικῶν, καὶ χυμικῶν, περιέχουσαν δυνάμεις, Ἀλεξάνδρῳ τούτῳ προσφωνεῖ. i.e. Africanus libros novem, Ceſtorum nomine inſcriptos, quibus comprehendit res Medicas, naturales, ruſticas, chymicas, Alexandro huic dedicavit. *Tactica ejus habeo inedita: multáque in iis ex Æneæ Tacticis Africanus exſcripſit. Doctum imprimis, & antiquum ſcriptorem nuncupat Iſ. Caſaubonus initiô Notarum in Tactica Æneæ.*

LIX. In JUSTINO verſificatore medii, ſeu barbari ævi non inlaudabili, Germano, nec inani bonæ mentis, non infrequens occurrit Claudiani expreſſio, notante C. Barthiô in Claudian. II. de Laudib. Stilic. v. 159. & 165. p. m. 249. b. extr. 252. a. b.

LX. E locô Diodori Siculi, lib. I. quô oſten-

oſtendit homines propter beneficia vivos fuiſſe populorum reges deſignatos, mortuos in numerum deorum relatos, pleraque deſcripſiſſe LACTANTIUM, lib. I. c. VIII. IX. X. & XI. teſtatur Mich. Piccartus in Commentar. in Ariſtotelis Polit. lib. V. c. X. p. m. 785. edito Jenæ M.DCLIX. in 8t.

LXI. CORNELIUS a LAPIDE, ſive STEIN, ita dictus ex antiqua Proſapia iſta, quæ prope Ulmam vixit, M. Eliæ Himmelio, Tom. II. Diſputat. Dilherri, n. XXII. p. m. 664. §. 26. edit. Norimberg. CIↃ IↃC LII. in 4to, eſt *exſcriptor* Hieronymi Pradi.

LXII. In JOANNIS BAPTISTÆ LAURI Peruſini, viri docti & Poëtæ quoque elegantis, quem magni fecit Urbanus VIII. cui a cubiculo fuit, Epiſtolis, Centur. I. Ep. LXXV. p. m. 174. ſ. edit. Colon. MDCXXIV. in 8t. legitur, totidem verbis *Strena* illa *Paſſeratii* de NIHILO, quæ habetur in ejuſdem Poëmatibus, part. III. Deliciar. Gall. Poëtar. p. 31. repetitúrque non ſine notis, præmiſſâ Paſſeratii vitâ per Joh. Papirium Maſſonem, a Martino Schoockio, in Tractatu ejus de Nihilo, p. m. 119. ſ. edito Groningæ 1661. in 8t. cui & acceſſit Caroli Bovilli Veromandui Samarobrini ejuſdem argumenti libellus. Prodiit & adſerta Veritas genuina Nihili auctore Franciſcô de Licht Antverpiæ M. DC XLII. in 12. *Quod*, factum Lauri, ait Dan. Georg. Morhof. I.

Po-

Polyhiſtoris Literarii, c. IX. p. m. 84. *extr- mirum mihi ſemper viſum eſt, cùm Laurus ipſe non contemnendus Poëta fuerit, ut patet ex Poëmate ejus de fabricatione calcis libris tribus ſcripto, & elogio, quod illi ſuſpendit Janus Nicius Erythræus Pinacothec.* I. *n.* CXLI. p. 254. *Scripſit & Theatri Romani Orcheſtram, de Viris illuſtribus.* Si rectè recordor eſt & in Joh. Balth. Schuppii Giſſenſis, Eloquentiæ (invitis profectò Muſis) & Hiſtoriarum Profeſſoris Marpurgenſis quondam Orationibus una de Præſtantia Nihili. Sed non habeo illas ad manus, parumque refert. Dicam infra ſuô locô de illo.

LXIII. LUCAS DE LINDA Deſcriptionem ſuam Orbis & omnium ejus rerumpublicar. Jenæ CIↃ IↃC LXX. in 8t. editam e Pierro d'Avidi le Monde Gall. maximi habito deſumpſit, notante Bœclerô in Bibliographia Hiſtorico-Politico-Philologica p. m. 75. edita Germanopoli M DC XCVI. in 8t. Chriſtian. Gryphius Rector olim apud Vratiſlavienſes Magdalenæus, c. I. Apparatus, ſive Diſſertationis Iſagogicæ de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus, §. II. p. m. 8. ſ. edit. Lipſ. M DCC X. in 8t. *Cymbalum*, inquit, *juventutis quidem me juvene fuit*, LUCAS de LINDA *Poruſſius in* Deſcriptione orbis & omnium ejus rerumpublicarum, *ſæpius tum in Batavia, tum etiam in Germania noſtra recocta, verùm non immeritò paſſim in eo judicium & ampliorem do-*

ctrinam,

ſtrinam, alicubi & meliorem gallicæ italicæque linguarum cognitionem deſiderat præceptor noſter beatæ memoriæ JOH. ANDREAS BOSIUS *in* generali Introductione in notitiam rerumpublicarum orbis univerſi *c.* 4 §. 8 *p. m.* 51. *Præceſſit Lucam de Linda* auctor gallicus, *qui ſe initialibus litteris appellat:* D. T. V. Y. *librumque edidit, cui titulus:* Les etats, empires, royaumes & principautez du monde, *ſæpius Genevæ & alibi in folio & 4to recuſus, cujus vitulo utplurimum aravit* de Linda. *E gallico deinde in latinum ſermonem eum tranſtulit, locupletavit & ſub titulo* Archontologiæ coſmicæ *ante plures annos edidit* JOHANNES LUDOVICUS GOTHOFREDUS, *de hiſtoria hujus ſeculi non malè meritus nobiſque infra cum cura dicendus; germanicæ inſuper conſuetudini traditus poſtea fuit, & a* GEORGIO CHRISTOPHORO HAYNIO *continuatus. Sed deſunt & huic &* Lindæ, *quæ ad noſtrorum temporum exactiorem faciunt cognitionem: adeoque optandum foret, ut promiſſis ſtetiſſet fautor noſter & patronus, Profeſſor Francofurtenſium excellentiſſimus,* JOHANNES CHRISTOPHORUS BECMANNUS, *qui cùm ante hos novem annos hic eſſet Vratiſlaviæ, palam teſtabatur, ſibi animo ſedere, hoc ipſum Archontologiæ coſmicæ opus acceſſionibus luculentis illuſtrare, & ad noſtra uſque tempora continuare, quæ ſpes licet ſane huic labori par futurus vir celeberrimus, nunc tamen credo decollat, cum* hiſtoriæ Anhaltinæ *unice intentus,*

hanc

hanc ex animo curam dudum fortaſſis abjecerit. Penſabit interim hanc jacturam ejuſdem Hiſtoria orbis terrarum geographica & civilis, *bis aut ter ni fallor recuſa, inter meliores profecto argumenti hujus libros numeranda.* Addo ipſa Boſii verba: *Ad illos, qui junctim pleraſque aut ſaltem plures hodiernas Reſpubl. deſcripſerunt pertinet* I. auctor Libri *Rothomagi annô* CIↃIↃCXXXIII. *& poſtea Genevæ editi*, inſcriptúque: Les Eſtats, Empires & Principautez du Monde &c. *id eſt, ſtatus, Imperia & Principatus Mundi, repræſentati per deſcriptionem regionum, mores incolarum, opes provinciarum, vires, regimen, religionem & Principes, qui ſingulos ſtatus gubernârunt, unà cum origine omnium religionum, omniúmque equitum & ordinum militarium. Aliàs idem Pariſiis editus* an. 1643. & 1651. *ſub titulo*: Nouveau theatre du Monde, contenant les Eſtats, Empires, Royaumes & Principautez &c. *id eſt*, novi Theatri mundi, continentis ſtatus, Imperia, regna & Principatus &c. *reviſúſque per Claudium Malingreum. Auctor ſe vocat D. T. V. Y. nobilem ordinarium Cameræ Regiæ. Hunc unum ſcriptorem, ſi paulo plus diligentiæ atque fidei adhibuiſſet, Gabriel Naudæus* (in Bibliographia Politica, c. XXIII. n. 3. 4 p. m. 564. Tom. I. Methodor. Stud. edit. Rotterod. CIↃIↃCXCII. in 4to; ubi tamen fortè pro *Theſauro* legendum *Theatro*.) *non dubitaret reliquorum locô habendum eſſe. Eum e Gallico*

lico in Latinum ſermonem tranſtulit & locupletavit, ac ſub titulo Archontologiæ Coſmicæ *ante complures annos edidit Joan. Ludovicus Gothofredus. Sed poſtea a mendis purgavit, neceſſariis acceſſionibus auxit, & ad ſua uſque tempora continuavit Georgius Chriſtophorus Heinius.* II. *Petri d'Avity domini, Montis Martini, prolixum opus Gallica lingua conſcriptum, cui titulus,* Le Monde, ou la deſcription generale de ſes quattre parties &c. *id eſt, Orbis, ſeu deſcriptio generalis quattuor eius partium cum omnibus Imperiis, regnis, ſtatibus & Rebuſp. ſecundò editum, reviſum, correctum, & in tomo de Gallia auctum per Franciſcum Ranchinum, Advocatum Montis Peſſulani. Opus ob eruditionem ac diligentiam ſingularem merito ſuo magni æſtimandum.* Prodiit Pariſiis, annô hujus ſeculi XLIII. quinque tomis in fol. quibus poſteà VI. acceſſit. III. *Anonymi ſcriptoris Galli* Theatre de l'Univers ou L'Abbregé du monde &c. *id eſt, Theatrum univerſi, ſive, Breviarium orbis, continens deſcriptiones particulares omnium ſtatuum, Monarchiarum, Rerumpub. & Principatuum orbis &c.* Pariſiis editum anno 1644. IV. Gottfried Schultzens, Kurtze Welt-Beſchreibung: *qui liber etſi valde imperfectus & fere non niſi vulgariſſima continet, tyronibus tamen hujus ſtudii velut elementarii & compendii locô eſſe poteſt, unde ſuperficiariam Imperiorum notitiam hauriant.* V. *Lucas a Linda, Boruſſus, in* deſcriptione orbis & omnium ejus rerump.

rump. *quæ Germanicô quoque ſermone, ſed diſſimulatô auctoris nomine ſub titulo :* Orbis lumen, & Atlantis juga tecta retecta, *prodiit* Lugd. Bat. anno 1655. & Jenæ, 1670. excuſa. *in qua etſi paſſim judicium & amplioris doctrinæ inſtructum, alicubi & meliorem Gallicæ Italicæque linguæ peritiam jure deſideres; attamen quoniam ex optimis ſcriptoribus pleraque congeſſit, & ad noſtri temporis ſtatum accommodavit, ſimul quædam addidit aliis neglecta, reliquis, qui quidem hactenus in lucem prodiêrunt, ſaltem Latinis, præferri meretur.*

LXIV. De HENRICO LINDENBROGIO Bibliothecæ Gottorpienſis Præfecto, hæc memorat Paulus Colomeſius in Opuſculis, p. m. 120. edit. Ultraject. CIↃ IↃC LXIX. in 12. *M. Voſſius m'a dit, qu'il avoit appris de M. du Puy, aîné, qu'Henry* Lindenbrog *eſtant a Paris, & allant ſouvent a la Bibliothêque de S. Victor, ſous pretexte d'y étudier, y déroboit toûjours quelques manuſcrits; Et que quelcun s'eſtant apperçû de ſes larcins, on alla le prendre un matin en bonnet de nuit & en pantoufles, & qu'on le mena ainſi en priſon; D'où il ſortit quelques jours aprés par le crédit de M. du Puy.* In Scaligerianis Putean. p. m. 203. Lindembruch *eſt un ſat & plagiaire; promittit Frehero Leges Longobardorum a Franciſco Pithœo, eſt benè doctus in illis rebus, ut & Savaro.* Lindembruch, *Woveren grands plagiaires.* In Faſciculo VI. Actorum

Lit-

Litterariorum ex manuſcriptis erutorum atque collectorum curâ Burcardi Gotthelffii Struvii, n. XIII. p. m. 14. edit. Jenæ MDCCIX. in 8t. habentur ſequentia: Lindebrogius *egregius eſt plagiarius. Ille &* Woweriusin *Gallia vocabantur* les Corſaires de Hamburg. *Lindebrogius etiam ſemel in carcerem capite nudô tractus fuit, ob ſedecim volumina Manuſcripta, quæ monachô uno conſciô ſubduxerat è monaſterio Victoris, quod poſteà ipſe monachus faſſus. Optimum fuit, quod ipſe ſtrenuiſſimè negaret, & Callignonius herus ejus tanta eſſet auctoritate, ut non auderent excutere ædes ejus. Virgis erat excipiendus minimum, ſi non patibulô, abſque illo fuiſſet, ejuſque interceſſione. Diſcipuli ejus jam heic apud nos ſunt, è quorum præceptore id habeo.* Alphonſus a Caranza JCtus Hiſpanus in De Partu Naturali & Legitimo, c XL. n. 8. p. m. 474. edit. Colon. Allobrog. M. DC XXX. in 4to, hunc ipſum Henr. Lindenbrogium, in ad Cenſorin. c. VIII. notis ad faciliorem Chaldæorum doctrinæ perceptionem ſchemate quodam uſum non inepto, quod ab Elia Vineto, ejus nomine ſuppreſſô, mutuatus fuerit in Notis ad ædil. (l. Eidyll.) XII. ſcribit. At mentitur Caranza, Lindenbrogius enim ad citatum Cenſorini cap. p. m. 59. extr. edit. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XLII. in 8t. iſto ſub ſchemate inter ceteros adductos ibi ſcriptores nominatim etiam adpellat & laudat Eliam Vinetum in Comment.

ad

ad Eidyll. 12. Auſonii. Habuit hic Henricus fratrem, Fridericum, Canonicum ac Polyhiſtorem Hamburgenſem; patrem Erpoldum Lindenbrogium, Bremenſem, Canonicum Hamburgenſem. d. 20. Junii an. M DC XVI. ætat. LXXVI. denatum; *virum*, ut laudat cultiſſimi vir ingenii, & in excitandis ad vigorem juvenum animis promtiſſimus, Johannes Mollerus, Flensburgenſis, ſcholæ patriæ Rector, in erudita Diatriba de Helmoldo, §. XI. p. m. 13. edita Lübecæ annô 1702. in 4to, *magni nominis, & meritis, tum proprius in Hiſtoriam Germaniæ, Cimbriæ ac Daniæ, Antiquam, hujuſque ex ævo medio Scriptores, tum Filiorum patriſſantium*, Friderici & Henrici, *in Juriſprudentiam, Literas elegantiores, tôtque Autores Veteres Claſſicos, immortalibus inclytum.*

LXV. JUSTUM LIPSIUM exſcripſiſſe Torrentium, ipſe ſatis indicat Lævinus in Sveton. Auguſt. c. X. p. m. 122. b. his verbis: *Plura Lipſius Elector.* II. *c.* XIII. *ubi noſtra hic animadverſionis non meminit.* Locum Gellii ex extremo lib. VIII. Torrentio ibi adductum fruſtra quæſivi. Ipſa Gellii verba dat Lipſius, non locum. Torrentii verba e notis in Sveton. Auguſt. c. XXIV. 4. de emeritis repetivit idem ferè Lipſius, Excurſu G. ad Taciti I. Annal. p. m. 176. edit. Pariſ. M. DC. VIII. in fol. adſentiente Grüterô; quos tamen refellit C. Barthius, I. adverſarior. c. X. col. m. 21.

Lipſii

Lipſii notam in Senec. Conſolation. ad Polyb. c. xxxv. de Pulvinaribus lego & in Torrentii comment. in Sveton. Domitian. c. XIII. 1. p. m. 686. a. Si Scaligerianis Putean. p. m. 207. credimus: *Lipſius in libro de Militia Romana omnia cepit ex Franciſco Patricio, qui Italicè ſcripſit ea de re.* Enimverò de Patricii Parallelis militaribus notiſſimum judicium eſt Joſephi Scaligeri, *hujus generis acerrimi æſtimatoris*, judice Janô Niciô Erythræô Pinacothec. I. n. CXVII. p. m. 203. qui in ſuis ad amicos Epiſtolis (n. CXIX. p. m. 310.) ſcripſit his verbis: *Franciſc. Patricius ſolus mihi videtur digitum ad fontes intendiſſe: quem ad verbum alii, qui hoc ſtudium tractârunt, cùm ſequantur, tamen ejus nomen ne ſemel quidem memorârunt.* Semeſtria Petri Fabri a Lipſio exſcripta eſſe adfirmat Cæſar Bulengerus in Hiſtoria. Laudat tamen ea Lipſius in Electis, lib. I. c. XXII. extr. & dicit, ſe ea non compilare, *Fatendum tamen commutatô ſtylô, quô non inſtructus fuit Faber, Lipſium multa inſerere ſuis*, ſcribit Auctor Bibliographiæ Curioſæ, p. m. 30. *Franc. Hotomanno in lib.* I. *Cæſar. de Bello Civ. c.* XII. *fallor? an ſua debeat* Lipſius, lib. II. Elect. c. XIX. ait Chriſtoph. Adam Rupertus in Obſervationib. ad Flori lib. II. c. II. 8. p. m. 309. editis Norib. CIↃ IↃC LIX. in 8r.

LXVI. JACOB. LYDIUS in Cœna Dominica Litteratorum (inſerta Faſciculo X. Opuſculor.

ſculor. quæ ad Hiſtoriam ac Philologiam ſacram ſpectant, n. xlvi. p. m. 429. ſ. edit. Rotterodam. m dcc. in 8t.) deſcripſit Kornmannum de Miraculis Mortuorum, obſervante Antoniô Borremanſiô, c. xvi. Var. Lect. p m. 200. edit. Amſtelæd. 1676. in 8t. Habeo *admirandum*, ut in titulo laudatur, iſtud Henrici Kornmanni ex Kirchaina Chattorum De Miraculis Mortuorum Opus haud obvium temere m. dcx. & de Miraculis Vivorum edit. Francof. m. dcxiv. in 8t.

LXVII. Nicolaus Lyra e Judæo Chriſtianus factus Hebraicarum litterarum peritiâ, pro captu temporis, & commentariis in univerſam ſacram Scripturam in primis clarus, in expoſitionem ſuam multa e Rabbi Salomone, quæ ad rem facere viſa ſunt, tranſtulit, & ſenſum litteralem in plerisque non malè expreſſit. Vide b. Joh. Andr. Qvenſtedt in Dialogo de Patriis illuſtrium doctrinâ & ſcriptis Viror. p. m. 117. edito Witteb. cIↃ IↃc liv. in 4to. Joh. Reuchlinus Phorcenſis apud D. Joh. Henr. Majum, in p. m. 270. extr. Annotation. Var. in vitam Reuchlini edit. Durlac. m. dc. lxxxvii. in 8t. *neminem ignorare* putat, *quanto in pretio* Nicolai de Lyra *commentarii in Eccleſia habeantur: eum vero omnia fere ex* Rabbi Salomonis *Commentariis deſumſiſſe, adeò ut illa, quæ de ſuo addiderit, paucis pagellis comprehendi poſſint.* Ipſe verò Majus

in præfatione: Nicol. Lyranus *quidem*, inquit, *non inerudité in ſacrum Codicem commentatus eſt, ſed pleraque tamen ex* Rabbi Salomone Jarchio *deſumſit, unde & illius Simia appellari vulgò ſolet.*

LXVIII. Memorabilia ſunt, quæ de R. Moſis Maimonis filii libro יד חזקה *Jad Chaſakah*, ſive *Manus robuſta* inſcripto præfatur Vir in his ſtudiis eminentiſſimus Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius in libr. Talm. Sota, p. m. 31. *Accedebat operis Jad purum, nitidum, & terſum illud dicendi genus, nullis, ut alia Hebræorum ſcripta, difficultatibus obnoxium, nullas tenebras legentium oculis offundens. Placuit pulcherrima illius diſpoſitio, in qua artis dividendi, & παιδείας regulæ ad amuſſim obſervantur.* Cùm *verò omnia ita recitet* Maimonides, *quaſi non aliunde, ſed ex ingenio depromta ſint, illi ſoli accepta referenda eſſe Lectores arbitrati ſunt, quæcunque literis conſignavit, & pro illius peculiaribus rebus accepêre, quas tamen nonniſi commodatò, a Talmudiſtis acceperat. Ergo, ex illa Autorum ſuppreſſione id ſanè propemodùm evenit, quod eventurum jam olim ſuſpicati ſunt Judæi, &* Maimonidi *adhuc vivo vehementer exprobrârunt. Scilicet, evidens periculum eſſe querebantur, ne periret, aut ſaltem magnum detrimentum pateretur, memoria Talmudiſtarum, metuebántque ſolum ipſum volaturum per ora hominum, & famam ſibi paraturum & gloriam. Prolixè* Maimonides *in*

Epi-

Epiſtola ad R. Pinchaſum judicem Alexandrinum ſcripta, & Joh. Buxtorfii Inſtitutioni Epiſtolari Hebraicæ ſubjuncta, probare ſatagit, non ſe dolô malô feciſſe, quicquid fecerit, neque unquam in mentem ſibi veniſſe, hoc conari, ut veterum ſapientum nominibus oblivionem induceret. Interim tamen (quod ex occaſione adjicimus) cùm ipſe quoque incommodum aliquod ex illa, quam ſecutus fuerat, ſcribendi ratione, emergere deprehendiſſet, ferè eandem ſibimet diſplicuiſſe animadvertimus. Nimirum narrat in iiſdem litteris, veniſſe aliquando ad ſe nonneminem, & quæſiviſſe, quâ autoritate in opere Jad, in materia quadam damni illati, ita de jure pronunciâſſet? cúmque reſponderet, ſic haberi, aut in propria ſede in Talmude, aut in capite אלו הן הגולים *aut in Sanhedrin, ubi de homicida agitur, ſubjeciſſe alterum, Pridem ſe conſuluiſſe omnia illa loca, & addidiſſe quoque Talmud Hieroſolymitanum, & Toſephot, verùm fruſtra. Ibi verò obſtupuiſſe ſe penitus, ait Maimonides, per horam integram, tandémque dixiſſe: redeo in memoriam hæc legi in Gittin; verùm, cùm prolatô librô, nihil reperiſſet, juſſit hominem diſcedere, ſéque ampliùs cogitaturum, eſt pollicitus. Poſtquàm multa verſâſſet, meminit denique illud effatum in Jebamot fundari, & de illa re percontatorem reddidit certiorem. Hanc ob rem, tum quia turpe exiſtimavit* Maimonides, *ſi auctor Epitomes non poſſit illico oſtendere, e quo loco libri, quem abbreviandum ſibi ſumſit, quódque dictum ſit*

congeſtum; tum quia fontis perveſtigationem, quæ ſibi negotium faceſſebat, tanto difficiliorem reliquis futuram, non abs re arbitrabatur, ideo ait: נחמתי שלא חברתי עם חבור זה ענין שאני אומר לך וברעתי אם גוזר השם יתברך שאעשנו אף על פי שיש בו טורה הרבה שכל הלכה שאינה במקומה באותו ענין אודיע מקומם: i. e. Diſcrucior animi, non me addidiſſe operi meo illam, de qua ſermo hactenus fuit, indicinam locorum Talmudicorum: atque propoſitum mihi, volente DEO B. eandem elaborare, etſi res multi laboris eſt, apertum faciendo, unde ea, quæ in Talmude, in loco proprio, non extant, ſint deprompta.

LXIX. JOAN. MALDONATUM olim inter plagiarios relatum a nobis, part. x. Animadverſion. c. II. §. VIII. p. 195. nondum excidit; quid de eo Thomas Malvenda habeat, apperiam ejus verbis, reperiendis Tom. II. de Antichriſto, lib. x. c. XII. p. m. 155. b. edit. Lugdun. M. DC XLVII. in fol. Joannes Maldonatus *in* XVII. *Matthæi* 11. *non formidavit hæc ſcribere*: Joannes in Apocalypſi, c. XI. 3. 6. tam apertè ſcribit Moyſem & Eliam eſſe venturos, ut nemo non ſolùm ſine temeritate, ſed nec ſine impudentia negare poſſit. *Et dabo*, inquit, *duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis.* Quos, qui futuri, ſtatim deſcribit: *Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat, diebus Prophetiæ ipſorum.*

rum. Quis non videt Eliam? *& poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint.* Quis non videt Moyſem quaſi digitô demonſtrârit? (in Maldonati mei infra citandi editione *demonſtrari* eſt) Accedit, quod, ut v. 3. docuimus, hæc ratio potiſſima fuit, cur Moyſes & Elias potiùs, quàm alii ex Prophetis, Domini Transfigurationi interfuerunt, quia voluit Chriſtus futurum ſuum adventum tribus illis Apoſtolis ante oculos ponere: & quia in ſecundo adventu ſuo Moyſes & Elias ſunt præmittendi; ut ejus vitam, quemadmodùm in priori adventu Joannes fecit, præparent, adeſſe eos voluit. *Eadem habet ad v. 3. Matth.* XVII. *Ergo temerarii & impudentes erunt Patres omnes & Recentiores immensô numerô, qui non Moſen, ſed Henoch cum Elia venturum ingenti conſenſu docuerunt: quem conſenſum, equidem clariſſimum, c.* XIV. *proferemus. Homo audax ac præceps, qui plerumque temeritate in manifeſtos prolabitur errores. Ut cùm Matth.* XXII. 15. *Herodi Antipæ milites Jeroſolymis abſtrahit, quos ei Lucas c.* XXIII. 11. *tribuit; & cùm Luc.* XVIII. 12. *Theophylactum carpit, tradentem Judæos ſecundô & quintô hebdomadis die jejunare ſolitos; cùm nihil frequentius ac pervulgatius in libris Judæorum occurrat. Cùm Marc.* VI. 13. *ad extremum, ait, vulgarem eſſe ſententiam, ſed incertam, Apoſtolos ante ultimam Domini cænam non fuiſſe*

Sacerdotes: cùm ſit expreſſum dogma fidei, Apoſtolos a Chriſto in ſuprema Cæna Sacerdotes inſtitutos fuiſſe in Concilio Tridentino, Seſſ. XXII. *cap.* I. *& Canone* 2. (falsò, eſt enim Seſſ. VI. Can. I. fol. m. 177. a. extr. edit. Lovan. M. D. LXIII. in 8t.) *Eraſerunt jam Patres e recentioribus* Maldonati *editionibus tam pudendum errorem. Cùm Matth.* I. II. *textum immutat & emendat*: Joſias autem genuit Joacim & fratres ejus, in tranſmigratione Babylonis: Joacim autem genuit Jechoniam &c. *Omittimus in præſens alia. Proteſtantes de eo queruntur ſæpiſſimè, quòd eorum ſcripta ſit ſuffuratus.* Quæ pluribus verbis adducere volui, ut Lector ſciret; non ab omnibus Papiſtis æquè magni Maldonatum haberi; tum ut Lector varietatem editionum Maldonati diſceret. Sanè in mea Lutet. Pariſ. M. DC XXIX. non reperio verba Malvendæ ſtatim in principio laudata e Maldon. in Matth. XVII. 11. *Joannes in Apocal.* XI. 3. 6. *tam apertè ſcribit Moyſem & Eliam eſſe venturos, ut nemo non ſolùm ſine temeritate, ſed nec ſine impudentia negare poſſit*; ſed eorum loco hæc: *Præterea Joannes in Apoc.* XI. 3. 6. *ſatis apertè ſignificare videtur, Moyſem & Eliam eſſe venturos*; & dabo, *inquit*, duobus teſtibus meis &c. Quæ omnino probè notanda, cum nos doceant, quid e veteribus editionibus haurire poſſimus in rem noſtram, quod in recentioribus negatur. Dici non poteſt quanta lateat eruditio & utilitas

in cognitione editionum earúmque diverſitate. Optima & rariſſima Maldonati fertur eſſe Muſſipontana editio CIↃ IↃ XCVI. in fol. omnibúſque aliis locupletior, quam vidi equidem, at aliis conferre non datum fuit. Habetur & recentior Lutet. Pariſ. edit. CIↃ IↃC LI. in fol. Nec improbat Malvenda Proteſtantium accuſationem, quâ plagii Maldonatum arceſſunt. In Scaligerianis Puteanor. p. m. 213. hæc habentur: Maldonatus in Evangelia *maledicens, inſignia tamen quædam habet bona,* ayant tout pris de Monſieur de Beze; il en meſdit: *quando aliquid habet boni, furatur a Calvino, & ut* (f. *ne*) *agnoſcas, maledicit ei, ut Euſebius ex Africano conatur furta ſua tegere. Maldonatus non poterat mihi verbum Hiſpanicum interpretari, quod Judæus potuit, ſolent Judæi Paſchate inniti cubito, res conſtat.*

LXX. De ALDO MANUTIO in Officia Ciceronis Joh. Georg. Grævius his præfatur. *Ut in prioribus tomis adjeci ſeparatim ceterorum notis Paulli Manutii animadverſiones, ſic horum librorum fini adtexo ejus filii* Aldi Manutii *commentarium. Verùm ſi res fuiſſet mei conſilii, nec aliis obſequendum, qui propter celebritatem nominis Manutiani nolebant,* Aldi *adnotata prætermitti, nunquàm ea, cùm non reſpondeant famæ, hìc paſſus eſſem adponi. Nam præter varias lectiones, quas ex multis mſcr. hauſit; nihil de ſuo promit, aut perquàm rarò, ſed omnia deſcripſit ex*

Hieronymi Wolfii & Xyſti Betuleji notis in hos libros Ciceron. Offic. *Hoc equidem mirari ſatis non potui in homine Italo illius temporis, quô nondum conſenuerat laus optimarum artium, & in tanti quidem viri filio; ſed id mirari deſii, cùm cogitarem olim a viris doctis hoc vitium exprobratum ei fuiſſe, qui obſervârant illum excantâſſe meſſem* Joannis Rhellicani, *ſive iſtius notas in Jul. Cæſarem, verbatim decerpſiſſe, ac in ſua in eundem ſcriptorem ſcholia bonâ fide, nullâ tamen* Rhellicani *mentione factâ, tranſtuliſſe, Muſis & Gratiis non probantibus.* Commentarii in Ciceronis ad Atticum Epiſtolas *Janum Parrhaſium* (malè *Parrahſium*) non *Aldum Manutium*, qui illius ſe commentatorem finxerat, nomine deſignat David Abercrombius Scotus in Fure Academico, Sect. XI. p. m. 86. edito Amſtelod. 1701. in 12. Quàm bene verò mihi cognitus eſt Commentarius Pauli Manutii in Epiſtolas Ciceronis ad Atticum, quem ex editione Veneta M. D. LXI. in 8t. lego: tam planè me fugit Aldi Manutii dictas in Epiſtolas Tullii Commentarius. Vide quæ de Manutiis adtuli in præfatione Faſcis III. Exercitationum Philologico-Hiſtoricarum p. 39. & 40. editi hìc Lugduni CIↃ IↃC ICIX. in 8t. ubi v. ult. poſt *Ciceronis* adde *Offic.*

LXXI. Apud Marcellum Rhapſodum, quem vulgò Empiricum etiam dicunt, ridiculæ curæ ſunt plerarumque hominis partium malè adfectarum, *quas*, notante Barthiô,

thiô, lib. XI. Adverſarior. c. XVII. col. m. 543. *deſcripſit is auctor ex veteribus Medicis; ut totus, qui appellatur* Scribonius Largus, *in ea Rhapſodia reperiatur, nec non alii auctores, quorum partim Epiſtolas* Marcellus *ſuo libro præpoſuit.* Præivit Janus Cornarius in Epiſtola Nuncupatoria Marcello Burdegalenſi præmiſſa & ab Aldo edit. CIↃ IↃ XLVII. ſcribens: *Illud admonendum duxi, Scribonium Largum totum in Marcelli opere contineri diverſis locis inſertum, ab ovo, ut ajunt, fere uſque ad mala, adeò ut perorationem etiam Scribonii Marcellus, c. XXXV. habeat.* Quæ de *Ceramide* aut *Kyranni*, quem alii *Kyrannum, Kyrannidam*, alii *Kyranum* vocant, quemque Gerardus Cremonenſis Barbarâ dictione interpretatus eſt, idem adfert ibidem Barthius, refellit Thomas Reineſius, I. Var. Lection. c. II. p. m. 6. edit. Altenburg. M. DC XI. in 4to. Illum tamen defendit Chriſtian. Daumius, Epiſt. XX. ad Reineſ. p. m. 61. in quem hic Reineſius, pro more, ſatis acerbè invehitur Epiſt. XXII. p. m. 67. At defendit ſe & Barthium modeſtè Daumius, Epiſt. XXIV. ad Reineſ. p. m. 78. Pro Reineſio eſt quoque Dan. Georg. Morhofius, lib. I. Polyhiſtoris, c. XI. p. m. 99. ſ. Adde Joh. Albert. Fabri Centuriam Plagiarior. n. LXI. & infra Diſſ. II. §. LI.

LXXII. POMPONIUS MELA *Cæſarem exſcribſit, quem lege Comment. v. Belli Gall. ubi de Britannia præclarè*, ait Andr. Schottus in Spi-

cilegio p. m. 61. edito Antverp. M. D. LXXXII. in 4to. Adde Diſſert. II. §. LII.

LXXIII. Auctore Valentinô Henricô Voglerô in Programmate præfixo Commentario de rebus naturalibus ac Medicis, quarum in ſcripturis ſacris fit mentio, edito HelmæſtadI annô M. DC LXXXII. in 4to, *Omnia Phyſicè pariter ac Medicè in libris veteris & novi teſtamenti ſcripta illuſtrare voluit* JOANNES de MEY, *editis Medioburgi ante hos decem annos* (Voglerus ſcripſit hæc annô M. DC LXI. Mea autem tertia prioribus auctior Sacræ Phyſiologiæ Jo. de Mey editio, quâ utor, eôdem annô Medioburgi prodiit in 4to) Commentariis Phyſicis quadripartitis: *ſed in quibus non tam ſuam ſcientiam declaravit, quàm alienas ſententias exſcripſit, idque nullo ferè delectu, novitate præcipuè opinionum pellectus. Exemplo ſunto vel ſola illa, quæ de Febribus ex Thoma Campanellæ placitis retulit part.* I. *c.* V. *Locô* V. p. m. 219. extr. *in validiſſimarum rationum & experientiæ judicium, ipſomet in operis præfatione monitore, propterea meritò trahendus, niſi ſimulatque illud commendaverat, ab eo ſtatim, quaſi ſui oblitus, feciſſet diſceſſionem.* Recordor & hìc verborum, quibus utitur Johan. Herbinius, Diſſertat. II. de Cataractis Paradiſiacis, c. II. §. XVI. edit. Hafnienſ. M. DC LXX. in 4to; *Demirari ſatis non poſſum, quô argumentô vel autoritate adducti,* Joſephus, Antiquit. Judaic. lib. I. c. II.

Eu-

Euphratem & Tigridem ſimpliciter in Mare Rubrum: Joannes *autem* de Mey *in toties allegatis* Commentariis Phyſicis, c. I. Locô (non 9. ſed) XI. *eoſdem fluvios per* Babyloniorum fines in rubrum Mare prorumpere, *ſtatuant. Fines enim Babyloniorum non Rubrum mare, ſed ſinum Perſicum, intercedente nonnihil Arabiâ deſertâ tangunt. Sed Joſephus ignorantia Geographiæ Lectoribus non hic ſaltem, ſed pluribus aliis in locis imponit. In* Joannis *autem* de Mey Commentariis *puto, mendum hoc aut lapſu memoriæ Autoris, aut Typographi errore, quod hominibus illis novum non eſt, irrepſiſſe; qui enim vir tot marium navigationibus clariſſimus, adeóque locorum præſens aſpectator peritiſſimus, tam falſa & abſurda traderet? Aliàs Euphrates, antè, & mox a Diluvio, olim alveô & ore propriô in mare Perſicum volvebatur; poſteà verò ab accolis, agros rigantibus, præcluſus, nunc eodem cum Tigride alveô defertur,* Plinius, lib. VI. c. XXVI. *quod ipſum confirmat* Dion in Trajano. Vide quæ diximus §. XXVI.

LXXIII. ALEXANDRUM MORUM in Exercitationibus Genevenſib. de Scriptura, p. 50. (habeo illas Medioburgi editas in 4to, 1653.) quædam ex Origene tacitè exſcripſiſſe, teſtatur Paul. Colomeſius in Obſervationibus ſacris, p. m. 32. 33. editis Londini 1688. in 8r.

LXXIV. M. MINUCIUM FELICEM in

 Octa-

Octavio, qui liber falsò hactenus octavus Arnobii adverſus Gentes ob argumenti potiùs, quàm ſtyli ſimilitudinem eſt habitus, ab aliis quædam mutuari, tradit Theophilus Raynaudus in Theologia Naturali Diſtinct. VII. Q. I. artic. I. §. 8. p. m. 628. a. his verbis: *Urget elegantiſſimè hoc argumentum Prudentius ſub initium* Harmatigeniæ, (lege *Hamartigeniæ*) *poſt S. Cyprianum de vanitate Idolorum*, *n.* 59. (mihi c. v.) *quæ verbatim propè expreſſit Minutius in Octavio*, *n.* 28. (mihi, c. XVIII. 5. edit. Halenſ. M. DC XCIX. in 8t. quam Cl. Cellarius curavit & illuſtravit; vel p. m. 139. ſ. edit. Lugdun. Bat. 1672. in 8t. Quàm verè autem hæc a Jeſuita dicantur, conferens judicet.) Idem Raynaudus ibidem, artic. II. §. 33. p. m. 651. a. *Breviter*, inquit, *ſed acutè Cyprianus de Idolorum vanit. n.* 17. (mihi c. II. 3.) Si aliquando dii nati ſunt, cur non hodiéque (in meis codicibus eſt *hodie quoque*) naſcuntur? ni. fortè Juppiter ſenuit, aut partus in Junone defecit. *Quæ totidem verbis habet Minutius*, *n.* 39. (p. m. 217. edit. Hack. 1672.) *ſed & alia pleraque ex eodem Dialogo a Cypriano fuiſſe uſurpata*, *facile eſt advertere.* Quæ vix capio. Suprà enim videtur indicare, *Minucium* uſum Cyprianô: hìc Cyprianum Minuciô. Cl. Cellarius in notis ad Cypriani poſteriorem locum c. II. 3. p. m. 152. hæc advertit: *Ex Felicis c.* XXIII. *ſect.* 4. (l. 5.) *depromptum*. Et mox ad ſe-

ſequens comma 4. c. II. in Cyprian. de Idolorum Vanitate: *Ex c.* xxv. *ſect.* 8. *Minucii Felicis.* Idem Raynaudus, poſtquàm §. 33. p. m. 652. b. laudaverat hæc Cypriani initiô libri de Vanitate Idolorum reperienda: *Deos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt: Reges olim fuerunt &c.* ſubjicit: *Quæ totidem prope verbis habet Minutius in Octavio, n.* 34. (mihi c. xx. extr. & xxi. in edit. Hackiana vide p. 157. ſ.) Franciſc. Balduinus in erudita Diſſertatione de Minucio: *Certè,* inquit, *in* Cypriani de Idolorum Vanitate *libello, plurima ſunt, quæ totidem verbis in* Octavio Minucii *leguntur, neceſſe ut ſit, aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea ſumpſiſſe. Hieronymus verò in Epiſtola ad Magnum, loquens de Latinis ſcriptoribus Eccleſiæ, etſi Minucium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem adſcribere Cypriano magis videtur. Sed & in Apologia pro ſuis adverſus Jovinianum libris, primô locô Tertullianum, ſecundô Cyprianum, tertiô Minucium commemorat. Sabellicus, ſed ſine teſte, adfirmat, eum Romæ floruiſſe, quô tempore Urbanus ibi erat Epiſcopus, h. e. temporibus Alexandri Severi Imperatoris. Si ita eſſet, eſſet Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, noſtriſque adeò JCtis Ulpianô & Paullô.* Et multis interjectis, idem Balduinus: *Octavius,* inquit, *Idolorum fabulam & vanitatem ſalsè traducit, iiſdem etiam verbis uſus, quibus Cyprianus in eodem argumento utitur.* Do-

ctiſſ. Cellarius Minuciano Cypriani librum de Idolorum Vanitate, Woweri (qui Minucium & Cyprianum junctim edidit & recenſuit M. DC III. in 8t. quô annô ex eodem Bibliopolio Frobeniano in 8t. prodiit Julius Firmicus Maternus de Errore profanarum religionum, quem idem ille Joan. a Wower recenſuit) exemplô, adjunxit in editione ſua Halenſi CIƆ IƆC XCIX. in 8t. *quia ejuſdem*, ut præfatur, *argumenti eſt*, *atque ſæpiſſimè iiſdem & verbis & ſententiis expreſſus; ut alterum ex altero tranſcriptum hìc, illìc eſſe neceſſe ſit, quamlibet, uter prior fuerit, non omnium eſt eadem opinio. Plerique tamen* Minucium *Cypriano præiſſe cenſent, quod vel ideò propiùs ad fidem faciendam eſt, quia copioſa faciliùs, retentis verbis, in epitomen rediguntur, quàm brevia, iiſdem ſervatis amplificantur.*

LXXVI. Obſervat Dan. Georg. Morhofius, lib. I. Polyhiſtoris, c. XXIV. p. m. 311. JOANNEM NIEUHOFIUM (non *Nienhoffium*) *in* Itinerario Chinenſi, *quod Latinâ, Belgicâ, & Germanicâ Linguâ prodiit, pene omnia capere ex Epiſtolis Indicis & Japonicis a Patribus Societatis* JESU, *an.* M. D. LXVI. *&* LXX. *editis Lovanii* (quibus continentur variæ relationes de rebus naturalibus, commerciis Indicis, negotio Religionis per Jeſuitas promoto, & plurima alia memorabilia) *Trigautii Expeditione Sinenſi, aliiſque ejus argumenti ſcriptoribus,* ad-

additô tantùm ſuô Itinerariô. Certè memoratis e Jeſuitarum Epiſtolis multa excerpſerunt ii, qui Itineraria Chinenſia conſcripſerunt & Japonica poſteà. Nicolai Trigautii de ſua in Indiam navigatione Goæ perſcriptam annô M. DC VII. d. XXIV. Decembr. Petrus Jarricus in Theſauro rerum Indicarum, Tomô III. lib. I. c. XLI. repetiit. Idem Trigault. vitam Gaſparis Barzæi Belgæ, Jeſuitæ, Francisci Xaverii in India ſocii expoſuit tribus libris, edit. Antverp. M DC X. & Colon. M. DC XI. in 12. *Quod autem ad Epiſtolas illas attinet, licèt quotannis adhuc ſcribantur, a pluribus tamen annis non ampliùs fuerunt editæ: in quo arcanas procul dubio rationes habuerint Jeſuitæ;* ſcribit C. Sagittarius in Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſtic. c. XIX. §. XXVIII. extr. p. m. 450. Ego ſanè habeo Litteras Japonicas annorum M. DC IX. & X. ad Claudium Aquavivam Generalem Præpoſitum Societatis Jeſu a Patre Provinciali ejuſdem in Japone Societat. miſſas ex Italicis Latinas factas ab Andr. Schotto, Antverp. CIↃ IↃC XV. in 8t. editas. Item Litteras Societatis Jeſu e regno Sinarum ad Claud. Aquavivam annorum M. DC X. & XI. a Nicol. Trigautio conſcriptas & eôdem annô M. DC XV. Antverp. emiſſas in 8t. quæ rarò occurrunt.

LXXVII. De PETRI JOANNIS OLIVARII notis in Pompon. Melam hæc nos Andr. Schot-

Schottus in p. m. 26. Spicilegii Adnotationum in Melam. edit. Antverp. M. D. LXXXII. in 4to, docet : *Pintianus Hiſpanus Hiſpanum ſcriptorem* (Melam) *illuſtrare ſtuduit. Huic &* Olivarius *Valentinus ſuccenturiatus eſſe voluit, ſed poſt principia latuit. Emendationes, paucas licet, a Pintiano ferè mutuatus eſt. In explicando peccat non raró: in nominibus propriis reddendis ſæpiùs. Qua de cauſa* Nomenclatorem Pomponianum, *qui vetera nomina & recentiora dictet; ex* Synonymia Geographica *Abr. Ortelii, v. c. ſibi quiſque componet. Altera verò* Olivarii *editio nihilo priore melior: quam tot digreſſionibus, auctariis, & corollariis deformavit, ut Coſmographiæ & Geometriæ principia (quæ alibi, quàm in Mela didiciſſe oportuit) intempeſtivè hic inculcet.* Et p 35. *Perſtringit verò Pintianus, ſuppreſſô tamen nomine,* Petr. Olivarium, *qui hujus loci emendationem, cùm fortè editionem antevertiſſet, ſibi impudenter vindicavit.*

LXXVIII. Adgregat in Plagiariorum numerum DANIELEM OTTONEM JCtum Joh. Henr. Bocclerus in p. m. 27. Notarum & Animadverſionum poſtumar. in dicti Ottonis jus publicum; & quidem in c. VIII. edit. Argentor. CIϽ IϽC LXXV. in 8t. his verbis: *Feſtivum eſt quod habet Otto quaſi ex Seneca*: juvenile eſſe vitium regere non poſſe Imperium: *Turpis ignorantia; cùm eó locô nihil aliud dicatur quàm* juvenile vitium eſſe, regere non poſ-

ſe

ſe impetum. *Exempla, quæ p.* 159. *&* 160. *adfert, ex* Gerlaco Buxtorfio *deſcripſit, ſicut ſequentia etiam de forma corporis, ſecurè deſcribuntur aliunde.*

LXXIX. De OVIDII libris Metamorphoſeon Jul. Cæſ. Scaliger, lib. VI. Poëtices, c. VII. p. m. 861. edit. M. D. LXXXVI. in 8t. *Neque verum eſt*, inquit, *quod ajebat ille*, Ovidium *nullo alio duce, quàm ſeipſo militâſſe. Namque & totum Transformationum argumentum tranſtulit e Græcis, quippe tùm Parthenius, tum alii eamdem materiam tractavêre: & multa ſunt quæ ex antiquis Latinis, ex Græcis ipſis Tragœdiis expedire in promptu fuit: Medeæ, Myrrhæ, Penthei, & aliorum: qualia ſunt quæ ad Io, quæ ad Ino pertinent. Armorum quoque judicium, quod propter ſummum ac rarum artificium eſt admirabile, ex* Accii Fabula *potuit illi repræſentari.*

LXXX. CAROLUS PATINUS emiſit Gallicè Pariſiis in 12. Introductionem Hiſtoricam e notitia numiſmatum; de qua Auctor Ephemeridum Eruditorum anni M. DC LXV. d. XXIII. Februar. p. m. 70. Latinè verſarum a Friderico Nitzſchio & Lipſiæ editarum M. DC LXXI. in 8t. ita ſentit: *Liber ſatis ſcitus eſt, licèt repetitio ſaltem ſit illius, quod in* Savoto *dicitur. Quô poſitô, mirum videri poteſt, Auctorem* (Patinum) *in præfatione ſua dicere, omnes penè libros, hac de materia differentes, Latinos, Italicos, aut Hiſpanicos eſſe, adeóque nec nominare ſaltem*

tem

tem Savotum, *qui melius tamen in Lingua Gallica, quàm quivis alius Autor, quo ad ejus fieri potuit, in ſua ſcripſit. Sciendum tamen, inveniri quædam in hoc libro nova, quæ verò numerô tam exiguô, & talia quidem, ut meliùs potuiſſent omitti.* Idem Auctor Ephemerid. Eruditor. x. p. 96. reſpondens contra Litteras Amici cujuſdam Patini ſpectantes ad ſuperius judicium: *Alterum*, inquit, *quod urget, eſt, quòd in Ephemeride* Patinus *multa ex* Savoti *ſupellectili deprompſiſſe, neque tamen eum Numiſmatum ſcriptoribus adnumeràſſe dicitur. Ad quod* Patini *amicus reſpondet: Exſtare* Savoti *nomen in receſſu quodam libri, neque hoc latuiſſe Autores Ephemeridum, ſaltem id producere noluiſſe. Verum enimverò hoc idem eſt, de quo conqueſti ſumus*, Patinum *videlicet nominare* Savotum, *ubi nominâſſe nihil ejus intererat, ſuppreſſiſſe ipſius nomen, cùm nominandus fuiſſet, tum ſcilicet, quando de iis, qui de Numiſmatibus ſcripſerint egregia, locutus eſt. Ibi enim dicit, omnes illos, qui laudabiliter hac de materia egerint, eſſe vel Latinos vel Italos, vel Hiſpanos. Id quod verò contra bonam fidem eſt, & a* Patino *adfectatum ideò, ut credi debeat primus, qui benè de Numiſmatibus in lingua Gallica ſcripſerit. Quidquid tandem ſit, non ſufficit obiter nominâſſe Autorem, ex cujus tamen operibus omne id, quod bonum aliquis habet atque egregium in libro ſuo, eſt deſumptum.*

LXXXI. Quomodò PERSIUS Platonem imi-

imitatus ſit, præclarè c. IV. Miſcellaneor. docuit Angelus Politianus, quod quia nos multa docet, totum adponam. *Qui Poëtarum interpretationem ſuſcipit, cum non ſolùm (quod dicitur) ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis oportet lucubrâſſe. Nec proſpicienda autem Philoſophorum modò familia, ſed & Jureconſultorum, & Medicorum item, & Dialecticorum, & quacumque doctrina illum orbem faciunt, qua vocamus Encyclia, ſed & Philoſophorum quoque omnium. Nec proſpicienda tantùm, verùm introſpicienda magis; neque (quod dicitur) ab limine, ac veſtibulo ſalutanda, ſed arceſſenda potiùs in penetralia, & in intimam familiaritatem, ſi rem juvare Latinam ſtudemus, & inſcitiam quotidie invaleſcentem profligare: alioqui ſemidocta ſedulitas cum magna ſui perſuaſione detrimento ſit, non uſui. Plurima tamen in Philoſophorum maximè operibus invenias, quæ ſint in Poëtarum noſtrorum libros adſcita: quale videlicet, quod etiam annos abhinc aliquot* PERSIUM *publicè Poëtam enarrantes indicabamus,* SATYRAM *ipſius* QUINTAM, *cujus eſt initium*: Rem populi tractas? (in ſeptem meis Perſii Codicibus ſic incipit Satyra IV. non V.) *ad Platonici Dialogi, qui primus Alcibiades vocatur, exemplar, veluti delineatam; ſic ut non ea ſolùm, quæ de juſto, atque injuſto, deque ſui cuique (f. cujuſque) notitia Socrates inibi cum Alcibiade agit, delibâſſe ex eo prudenter, ſed locos etiam quoſpiam, ſi non magni momenti, certè Veneris*

neris tamen pleniſſimos, & leporis duxiſſe indidem Perſius *intelligatur. Quod genus & illa*: v. 3. -- Dic hoc, magni pupille Pericli: *quoniam Socrates quoque oſtendit omnium maximum viſum Alcibiadi, quòd ipſi relictus a patre tutor Xanthippi filius Pericles. Sic item*: v. 20. Dinomaches ego ſum: *ductum ex eo, quod apud Platonem ſic eſt*: ὦ Φίλε παῖ Κλεινίȣ ϗ Δεινομάχης. *Conſimiliter quod ait ibidem*, v. ult. Tecum habita: *nonne Dialogi ejuſdem pervidiſſe videtur voluntatem? Siquidem (quod Proclus enarrator adfirmat) nihil hic aliud Plato, quàm litteram Delphicam reſpexit, monentem, ſe quiſque ut nôrit. Quod & Picus Mirandula, noſter amor, in Heptaplo ſua, quam mox editurus, de ſeptiformi ſex dierum Geneſeos enarratione pulcherrimè tetigit. Hæc igitur inveniſſe aliquando, vel invicem etiam contuliſſe, non emolumentum modò Studioſis, ſed & voluptatem pepererit minimè vulgarem.* Hauſit e Politiano fortè Caſaubonus in p. m. 316. Commentarii ad Perſii Satyr. IV. edit. opt. Londin. 1647. in 8t. ſcribens: *Extant verò inter Platonis Dialogos duo de nomine Alcibiadis inſigniti: alterum horum, poſteriorem nempe Alcibiadem, imitabatur* Perſius Satirâ ſecundâ: *alter, qui Alcibiades prior dicitur, is eſt, unde* Satira hæc IV. *magnam partem eſt expreſſa.* Theodorus Marcilius Profeſſor eloquentiæ regius in Perſii Sat. IV. p. m. 96. edit. Lutet. CIↃ IↃC I. in 4to, ipſum illum Politianum

num laudat his: *Prima Perſii Satyra in Neronis Poëticam fuit: hac in ejus Politicam eſt. Adoleſcentulus Nero imperii regimen ſuſcepit annò ſuô* XVII. *Sveton. Neron. c.*VIII. *Atque ut Satyrâ primâ Nero Midas: ita nunc* (Satyrâ IV.) *Alcibiades. De imitatione autem Perſii Platonica Angelus Politianus Miſcellaneis c.* IV. Veniunt in mentem & hæc Andr. Schotti, quæ ſubpono e lib. II. Nodor. Ciceronianor. c. IV. extr. p. m. 312. edit. Hanovienſ. M. DCXV. in 4to: *Illud Coronidis vice accedat: ut ex Platonis Alcibiade priore* Satyram V. *concinnâſſe Perſium, monuit politiſſimus Politianus*, *c.* IV. *Miſcell. Sic e Cicerone mutuatum eſſe apparet elegantem hanc ſententiam. Ita enim noſter Tullius, qui Latinis litteris illuſtravit Philoſophiam, primò Officior. c.* IV. Nec verò illa parva vis naturæ eſt, rationíſque, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo, quid deceat in factis, dictíſque quis ſit modus. *Satyricus verò Satyr.* III. 66. ſ. *qui verſus inter cetera eminent ænigmata, utiléſque ſunt hominum vitæ*:

Diſcite, ô miſeri, & cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & unde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper

Utile

Utile nummus habet.

LXXXII. PERVIGILIUM VENERIS, quod Priapejis ſubjunctis Petronii Arbitri Satyrico Amſtelodami edito MDCLXIX. in 8r. acceſſit, p. m. 75. ſ. Flori ſeu Senecæ eſſe creditur, *inepte* autem, ut habet If. Voſſius in p. m. 285. Obſervation. ad Catullum, *tribuitur Catullo. Sanè quicumque demum iſte fuerit*, magnum bonorum librorum *inſeſſorem & interpolatorem eum fuiſſe conſtat*. Florum quemdam fuiſſe; qui & ipſe Seneca fuerit dictus, cujuſque nonnulla exſtant epigrammata inter ea, quæ Pithœus edidit, & alia nonnulla, quæ in Anthológia Luxurii occurrunt, ſatis conſtat; ſed an hic Florus Hiſtoricus, an alius? non ſatis certum. Vide Senecam, IV. Controv. XXV. Quinctilian. Inſtitutione X. c. III. Ger Jo. Voſſium, I. de Hiſtoric. Latin. c. XXX. p. 165. & de Poëtis Latinis, c. IV. p. m. 51. Item notas Varior. in editione citata principio Pervigilii Veneris ſubpoſitas; p. m. 77.

LXXXIII. PINDARUM e Leſchis Lesbii Parva Iliade aliqua mutuatum eſſe Græci Pindari interpretes obſervant. Lege Ger. Joan. Voſſium de Poetis Græc. c. III. p. m. 15. edit. Amſtelæd. M. DC LXII. in 4to. Euſebius II. Chronicor. Olymp. XXX. extr. p. m. 121. edit. Lugdun. CIƆ IƆC VI. in fol. *Alcmæon clarus habetur*, inquit, *& Leſches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem.*

LXXXIV.

LXXXIV. Judició Joſephi Scaligeri in Scaligerianis Puteanor. p. m. 266. FRANC. PITHOEUS *eſt verus Polyphemus*. PETR. PITHOEUS *malè judicabat de Antiquitate, præferebat quæ in antiquis exemplaribus inveniebat rationibus*. PITHOEI fratres *capitalia odia exercebant, frater fratri retinebat & furabatur libros Certè in Grammaticis plus præſtitit, quam in Rhetoricis* Franc. Pithœus. P. Pithœus *erat honeſtiſſimus vir; ſtudebat omnibus benefacere. Pithœus pollicitus erat editionem Conciliorum omnium, & poterat, nam erat diligentiſſimus. Dedit Pariſienſem Synodum de Imaginibus. Aſinus in illis rebus de religione. Au Maſſacre* P. Pithou *fuyoit de maiſon en maiſon; & latuit per aliquot menſes, poſteà mutavit ſe.*

LXXXV. PLINIUM vel mille locis Theophraſtum exſcripſiſſe teſtatur Thomas Reineſius, Epiſt. XXXVII. ad Hofmann. p. m. 306. Idem lib. II. Var. Lect. c. II. p. 132. eumdem Plinium *Ariſtotelis plagiarium* vocat. Cui b. Chriſtian. Daumius, Epiſt. XX. p. m. 61. hæc objicit: *Neſcio, qui* Plinius Ariſtotelis plagiarius *dici poſſit, qui lib.* VIII *c.* XVI. *ſumma cum Ariſtotelis laude ſe ſua ex eo compendiò traducere, ait.* At Reineſius, Epiſt. XXII. ad Daumium, p. 68. reſpondet: Plinium Ariſtotelis plagiarium *adpellavi, eo ſenſu, quô alius* (Ger. Jo. Voſſius) *amicos* fures temporis; *quô Clemens* VI. *Stromat.* τὸ κλεπτικὸν εἶδος ἑλλήνων, *ſeu Gentilium*,

lium, qui multa a Judæis deſumſerint; item κλοπὴν, *&* σφετερίζεσθαι τὴν παρ' ἡμῶν ἀλήθειαν εἰς τοὺς ὁμοφύλους, *qui quæ eſſent aliorum, feciſſent ſua, dixerat. Traxi nimirum vocabulum in bonam partem, quod omnino licuiſſe ſpero: ſin permittere noles, age Satyrä grande hoc peccatum perſequere.* Quæ Reineſii ideò hìc adſcripſi, ut inſcriptionis ſive tituli libri hujus noſtri *de Furibus librariis* invidiam declinarem.

LXXXVI. PORPHYRIUS in De non edendis animatis pleraque tranſſcripſit e Plutarchi libro: Utra animalia plus rationis habeant, terreſtriáne an aquatica? quem habes Tomô III. Varior. Plutarchi Scriptorum, p. m. 1760. ſ. edit. opt. Henr. Stephani M. D. LXXII. in 8r. ſi credimus Dan. Heinſio in emendationib. & notis in Maximi Tyrii Diſſertat. p. m. 23. edit. M. DCXIV. in 8r. Theophilus Raynaudus Ceſpitellenſis Jeſuita, his e Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, Serm. VIII. Græcarum Adfectionum Curationis, p. m. 108. edit. Commelin. CIↃ IↃ XCII. in fol. adductis: *Jure id Porphyrio contigiſſe dixerim, quod contingere Simiis ſolet; ſicut enim illi quoque quoſdam humanos geſtus imitantur, neque tamen continuo tranſeunt in humanam ſpeciem, ſed permanent in Simiorum natura, ita & Porphyrius è ſacris litteris quæ libuit* (ego habeo, *ſibi collibuit*) *ſuffuratus, nonnullis inde ſententiis per* (deeſt *per* in meo) *ſua monimenta interſitis, poſthabuit veritatem*

tem perdiſcere, Simiiſque duntaxat imitator permanſit, vel ut verius dicam, Graculus quidam fuit alienis plumis excultus: adjicit ſequentia, p. m. 141. *Hæc Theodoretus de Porphyrio quæ ſibi quoque dicta exiſtiment Proclus, & Damaſcius, imò & his anteriores ſcripturarum (ut latè tractat Clem. Alexand. 1. & 5. Stromatum) fures & latrones.*

LXXXVII. ANTONIUM POSSEVINUM in Adparatu ad verbum deſcribere Baronium notat David Blondellus in Pſeudo-Iſidoro, p. m. 602. edito M. DCXXVIII. in 4to. Ex occaſione Adparatus Poſſevini veniunt in mentem, quæ Valerius Andreas Deſſelius in Bibliothecam Belgicam p. m. 8. præfatur: *Superiori ſæculô apud Helvetios Tigurini vulgârunt* Bibliothecam *quandam Generalem, collectore* Conradô Geſnerô, *in qua omnis ævi, omniſque ſcientiæ recenſet ſcriptores: plus æquô tamen occupatus & accuratus in numerandis ab Eccleſia damnatis, & ſuæ ſectæ. Utilem magis dedit operam Eccleſiæ* Antonius Poſſevinus, e Societate Jeſu, in Adparatu ſacro; *quamquàm & is, homo Italus, hallucinetur interdum, & ferè circa nomen aut cognomen Scriptoris exteri.* Ultima Bibliothecæ ſelectæ Coloniæ prodiit editio annô M DC VII. in fol. Adparatus ibidem CIↃ IↃC VIII. in fol. *Hujus viri*, inquit Dan. Georg. Morhof. I. Polyhiſtoris, c. XVI. p. m. 178. *non eſt æqua apud doctos æſtimatio. Sunt qui illum in cœlum ferunt laudibus. Sunt, qui illum compilatorem*

torem non multa cura & judicii habent. Vide quæ diximus ad Joh. Andr. Boſii Schediaſma de Comparanda notitia Scriptorum Eccleſiaſtic. c. x. Tom. III. Methodor. noſtrar. de Eruditione comparanda inſcriptô, p. 426. ſ. edit. Lugdun. Batav. 1699. in 4to. Philippus Boſquierus Cæſarimontanus Franciſcanus in Præfatione Quartæ Naufragii Tabulæ, editæ Coloniæ annô M. DC XVIII. in 8t. Poſſevinum ita redarguit. *Ego ipſe,* (Boſqvierus) *tantulus inter Scriptores, noviſſimè duplici injuriâ ſum ab Antonio Poſſevino in Apparatu ejus ſacro Coloniæ* 1608. *edito, affectus, unâ, quum* Monomachiam *meam, ſeu Conciones* 40. *de tentationibus Chriſti in deſerto alteri adſcripſit; alterâ, quum de me uno ſcriptore duos fecit, & ex unius ejuſdémque hominis ſcriptis, altera cuidam* Boſquiero, *altera cuidam* Boskhiero, *quaſi alteri Scriptori, adjudicavit, deceptus ſcilicet vir alioqui doctus & bonus, variâ cognominis mei ſcriptione, quâ modô* Boſquierus *novè (more Patris & Patruorum, & aliorum quorundam cognomiorum* (f. *cognominum*) *tam Aveſnis, quàm in Gallia:) modò priſcè, imò novantiquè & Græcô ſignificatu,* Boskhierus *(ut ferè maiores quidam mei) ſcribere ſoleo: Sic enim Antonius ille Poſſevinus in illo opere, quod nunc dixi, litera P. ſcribit. Philippus Boſcherius* Hannon. Cæſarimontanus Conventus D. Franciſci Lucemburgi Provinc. Flandriæ Guardianus, ſcripſit opus prænotatum, Orbis Terror, ſeu

ſeu concionum de Finibus Bonorum & Malorum, libris duobus. Edidit Balthaſar Bellerus Duaci anno 1603. Cùm anteà evulgaſſet duos libros, quibus Parabolam filii Prodigi patriô ſermone explicat, qui prior Montibus anno 1596. editus, alter Atrebati anno 1597. prodiêrunt. Notas in Monomachiam Chriſti incruentam Latinè, anno 1598: *Philippus Boſquerius* emiſit Monarchiam (*Monomachiam dicere voluit*) Jeſu Chriſti & Luciferi incruentam, ſeu Concionum XL. (*pro.* 40.) de tentationibus Chriſti in deſerto, Notas. Duaci apud hæredes Petri Belleri: & librum inſcriptum Ara Cœli, ſeu Conciones de Honorario â Magis Orientis, Jeſu infanti oblato. Antverpiæ apud Gaſparem Bellerum ann. 1607. *Litera vero H. ſic* : Henricus Willot Ord. Minorum, Belga, ex Oppido quod dicitur A Fontibus Epiſcopi, in finibus Tractatus Leodienſis, ſcripſit Notas ad Monarchiam Chriſti incruentam, &c. *Monomachiam dicere voluit, quam tamen Willotius ille nullam edidit, Magiſter in Theologicis meus chariſſimus & doctiſſimus, doctior ſanè, quàm ut Monomachia illa mea ipſo digna ſit:* Sed & de Poſſevino vide quæ Part. VII. Animadverſionum noſtrarum adduximus c. I. §. IX. p. 68. & infra part. III. §. LI.

LXXXVIII. ELIAM REUSNERUM Leorinum Sileſium, Hiſtoriar. in Jenenſi Academia Profeſſorem in Genealogicis ne latum

quidem unguem a Richardo Streinio diſcedere, perhibet Chriſtoph. Adam Rupertus in Epiſtolis Richterianis, p. m. 467. *adeò, ut totum illum exſcripſiſſe videatur*. In dicti Reuſneri ſeptem illuſtrium Quæſtionum Hiſtoricarum enucleatione Jenæ edita M. DC IX. in 4to, Quæſtio II. hæc eſt: *Quænam Gentes & populi a quibus Noæ filiis ſuam ducant originem?*

LXXXIX. Theodorus Ryckius Animadverſionem ſuam ad Tacit. XI. Annal. XIV. 3. p. m. 132. deſumpſit e Sigonio in Liv. I. XXXIV. 2.

XC. De Cl. Salmasio adtulimus nonnihil part. II. Animadverſionum noſtrar. c. III. §. VIII. p. 94 ſ. In præſentia addimus hæc e p. m. 10. Epiſtolæ Johannis Cloppenburgii, quâ ad calumnias Salmaſianas ex parte reſpondetur; editæ Lugduni Batav. 1640. in 8t. *Audax ſim, ſi dixero, me ſcire Latinè dici, quod ille dicit ſe neſcire. Ego ex ipſo diſco multa Latinè dici, quæ fateor me neſcire.* v. g. Mœchimonium, Gladiator juris, *ac ſimilia. Dicam tamen liberè me ſic locutum cum duobus magnis Theologis. Melvinum dico & Tilenum; ita Latinè doctis & Græcè, ut ab illis viventibus olim potueris requirere* Salmaſius, *quod in Tertullianum commentaretur, qui negat jam Grammaticam a Theologis requiri debere.* Henr. Valeſius in Ammian. lib. XXXVIII. c. VI. p. m. 590. a. edit. Lugdun. Batav. M. DC XCIII. in 4to: *Edita ſunt nuper*, inquit,

quit, *Claud. Sarravii Epiſtolæ, inter quas legitur Epiſtola Salmaſii p.* 110. (edit. Arauſion. CIↃ IↃC LIV. in 8t. at in edit. Ultraject. M. DCXCVII. in 4to, eſt Epiſt. LXXXII. p. m. 82.) *in qua totam hancce obſervationem noſtram de ſcripto Quæſtorio & Decuria Quæſtoria a Salmaſio compilatam lector agnoſcet. Scripſit enim eam Epiſtolam* Salmaſius *ſex annis poſt primam editionem Adnotationum noſtrarum in Amm. Marcellinum.* Ipſe Salmaſius, Epiſt. XXII. Hugoni Grotio, p. m. 48. ſcribit: *Me totas aliquando paginas in ſinum meum avertiſſe insimulat* Petavius *ex* Biſciola *quodam, qui nec de nomine mihi notus.* Hoc de Biſciola hic repeto verba Morhofii, e lib. I. Polyhiſtoris Litterarii c. XXI. p. m. 248. Lælius Biſciola *Hiſpanus fuit. Scripſit* Horarum Succiſivarum (malè, *Subſecivarum* enim eſt in Titulo meæ editionis) *duo Volumina in fol. quæ edita ſunt Ingolſtadii typis Adami Sartorii annô* M. DCXI. *Varia continet ille liber, naturalia, moralia, hiſtorica; typis mendosè exſcriptus eſt. pleraque ex Plinio & ejus compilatoribus, Solino & Vincentio deſumpta. Incidunt tamen nonnunquam quæ notari merentur. Referendus eſt ad Locorum Communium ſcriptores gregarios: nam non iſta judicii vis & induſtria e Collectaneis illis relucet, quæ adhiberi poterat & debebat. Multos tales habemus libros, qui crambem eandem centies recoquunt, & de charta in papyrum ſcribunt. E quibus omnibus ſi unum aliquod conficiatur cum judi-*

cio volumen, per me quidem ſcriptorculorum illorum πᾶν ἀπώλοιτο γένος. Nactus ſum olim ex illuſtri Bibliotheca Salmaſii Diſquiſitionem de Mutuo, quâ probatur non eſſe alienationem hìc editam annô ciↄ iↄc xlv. in 8t. Cui adhærent in eodem volumine Epiſtola Caroli Annib. Fabroti Anteceſſoris Aquiſextienſis de Mutuo cum reſponſione Cl. Salmaſii ad Ægidium Menagium, Lugd. ciↄ iↄc xlv. in 8t. Confutatio Diatribæ de Mutuo, tribus diſputationibus ventilatæ Auctore & Præſide Jo. Jac. Viſſembachiô, J. U. D. eodemque Profeſſore in Academia Franekerana Friſior. Lugdun. M. DC XLV. in 8t. Elenchus ἐκθέσεως de Mutuo, ex Juris prudentiæ Methodicæ Partitionibus elementariis, Joh. Ottonis Tabor J. U. D. Cod. & Feud. Placit. Prof. in Univerſitate Argentoratenſi. Lugd. M. DCXLIV. in 8t. & Bartholomei Lectii, Jacobi Nepotis, Diſſertatio, quâ probatur, in mutuo non dari alienationem. Lugd. M. DC. L. in 8t. Notæ mſcr. his tractatibus a viro erudito, Wilelmo Goeſio, additæ multa me docuerunt, non modò in iſto argumento, ſed & in aliis; quamobrem & hunc & alios iſtiuſmodi codices magnâ diligentiâ conquiſitos & pretiô adſervo. Ultima, quando me remitto, petere loca ſoleo, pecuniæ libros in maculatos, ut videntur, & ſemeſos, vixque cohærentes profundendæ. Hæc avaritia mea eſt. Nec me labo-

ris,

ris, nec ſumtuum, nec inquiſitionis pœnitet, minimè tamen pecunioſum; nam contigit mihi variis & raris in libris Taciti quempiam nancîſci codicem, cui Andreas Schottus manu ſuâ Excerpta quædam ſive notas e codice Taciti mſcro viri illuſtris Antonii Covarruviæ adlevit; qui cur J. Lipſio in ad Lectorem Monitione, Libro Commentario ad Annales Taciti præfixa, p. m. 4. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC. in 8t. *non optima rei videatur fuiſſe*, me clam non eſt. Enimverò ſi minùs probus fuiſſet, Schottus, quem hoc in genere probamus auctorem, eum in excerpendum tam longinquum tempus non contuliſſet. Illum ipſum Salmaſium Holobolum Rhetorem Græcum ad verbum exſcripſiſſe in notis ad aras Doſiadæ, quas in Muſeo noſtro Philologico & Hiſtorico II. n. III. p. 184. ſ. hic Lugduni edito CIↃ IↃCC. in 8t. repetivimus, David Abercrombius Sect. XLIV. p. m. 304. obſervavit.

XCI. JOSEPHI SCALIGERI Chriſtoph. Adam Rupertus Epiſt. LXV. ad Reineſium ſic meminit, p. m. 580. edit. Lipſienſ. 1660. in 4to: *Eò verò lubentiùs ad auxilium tuum confugio, quòd olim ſcripſiſti, habere te*, Georgium Syncellum, *e quo* Scaliger *hæc ſcripſit. Scire velim cauſam, cur a nemine protrahatur in publicum? Ea ſeculi noſtri infelicitas eſt, ut etiam fures iſtos diligere cogamur.*

XCII. QUÆ ANDREAS SCHOTTUS Jeſuita,

iv. Tullianar. Quæſtionum, c. x. p. m. 324. edit. Antverp. cIↄ Iↄc x. in 8t. habet, hauſit e Joach. Camerario in Ciceron. Orat. pro Murena, c. i. Tom. ii. part. ii. Ciceronis Orationum, p. m. 6. edit. Amſtelod. m. dc xcvi. in 8t. Auctore Franciſcô Wörgero, Lubecenſi Theologô, amicô olim noſtrô, qui non modò eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed & poſterorum memoriam eruditione ſuperavit & doctrinâ, in p. m. 18. extr. Trigæ Diſſertationum ſacrarum, editæ Kilonl cIↄ Iↄc lxxix. in 4to; *Zehneri noſtri Adagia ſacra ad verbum pœnè exſcripſit, ſuúmque, ferreâ prorſus fronte, præfixit nomen, aliorum etiam operum, ut Doctores paſſim queruntur, ſuppreſſis autoribus, vaniſſimus ac furaciſſimus compilator* Andreas Schottus eſt.

XCIII. De ſententia Dan. Georgii Morhofii in Collegio mſcro de Hiſtoria Litteraria & Locis communibus rectè condendis, habito annô m. dc lxxi. & i. Polyhiſtoris, c. ix. p. m. 85. D. Johan. Balthasar Schuppius Paſtor quondam ad Ædem Jacobi Hamburgi *in Orationibus ſuis* Marpurgi habitis & editis in 4to *plagiarius eſt, in quibus præter ſtyli barbariem & joculos quoſdam triviales nihil laudibus dignum invenias. Oratio ejus* de Opinione *ex* Barlæi Oratione de Ente rationis *maximam partem deſcripta eſt. Elogium ejus vide apud Nicol. Heinſium in præfatione lib.* ii. *Sylvarum.* Et lib. i.

Po-

Polyhiſtoris, c. IX. p. m. 85. idem Morhofius: *Extat*, inquit, *cujuſdam* (i. e. Schupp.) de Opinione *Oratio*, *quæ præcipuâ parte e* Barlæi Oratione de Ente rationis *deſcripta eſt. Bertilii Canuti multa ſunt in Epiſtolis e Lipſio, in Poëmatibus e Lotichio, laciniæ. Novimus & e Vincentii Fabricii Poëmatibus nobili Poëtæ Gallico aliqua acumina ſublecta. Sed illa minutiora ſunt, quàm ut attendi debeant. Et caſu interdum talia eveniunt; quod ſingulari Diſſertatione* de FURTIS POETARUM *oſtendere voluit Menagius. Legi etiam poteſt ſuper hoc argumento Stephani Forcatuli Dialogus feſtiviſſimus, cui titulus* PROMETHEUS, *ſive* de RAPTU ANIMORUM, *ubi alienæ inventionis prædones & ineptos imitatores reprehendit.* Non defuerunt tamen annô ſuperiore auctores & ſuaſores Johanni Verbeſſel librario Lugdunenſi Batav. aliquot edendi denuò & repetendi Schuppii Orationes, ut compendium faceret; quòd nec ipſi adeò malè ceſſit, ut mihi retulit; cùm ſimiles habeant labra lactucas. Schuppii & Fabricii nomina in mentem mihi reducunt, quæ nuper legi in hujus Vincentii Fabricii Epiſtolis, p. m. 385. editis Francof. M. DC LXXXV. in 8v. ubi Henrico Vagetio ita ſcribit: *De D.* Schuppio *etiam Gedani varia variis rumoribus differebantur. Vidi quoſdam viri libellos mirificè ſcriptos, ſaltem manſuetudini & gravitati Theologicæ parum convenientes. Vidi contrà ſcriptiunculas acerbas, quâ*

(*f. quibus*) *in ipſius caput provolârunt, & quibuscum nunc, ut puto, colluctatur. Velim ſcribas, in quo ſtatu nunc ſit σύῤῥαξις illa, & quale perhibeatur de* Schuppio *publicum illic judicium; quod ſiidem tuum ſit: & præſtabo fide optimâ, ne id Tibi fraudi ſit.* Menagium in eodem luto cum ceteris hærere oſtendimus in part. x. Animadverſion. c. ii. §. viii. p. 196.

XCIV. A Casp. Scioppio ſuppreſſa eſt Franciſci Sanctii Brocenſis Hiſpani Minerva, eruditiſſimum ſine dubio opus, is enim inde pleraque deſumpſit; ut advertit Auctor Bibliographiæ Curioſæ, §. 14. p. m. 29. edit. Germanopoli m. dc xcvi. in 8t. Chriſtian. Daumius Epiſt. xviii. ad Thomam Reineſium, p. m. 57. edit. Jenenſ. m. dc lxx. in 4to. hæc ſcribit: Franciſci Sanctii novam Grammaticam *omnium abſolutiſſimam eamdémque breviſſimam Salmanticæ annô* m. d. lxxxvii. *editam in* 8*t. magnoperè commendant.* Gaſp. Scioppius in Conſultatione de Scholarum & Studior. ratione, c. xx. 7. p. m. 308. Tom. i. Methodor. noſtrar. edit. Rotterod. m. dcxcii. in 4to, & c. xxxv. 22. 23. p. 333. *nec minùs* Janus Nicius Erythræus Pinacoth. i. n. cxliii. p. m. 257. *Quemadmodùm & maximè laudatur ejuſdem Minerva, ſive* de Cauſſis Latinæ Linguæ; *quos libros nimiopere videre aveo, & ubicumque poſſum, indago.* Prodiit Minerva Sanctii cum Animadverſionibus & notis Gaſp. Scioppii & ube-

uberioribus longè Jacobi Perizonii Franequeræ M. DC LXXXVII. & M. DC XCIII. in 8t. & annô CIↃ IↃCC XIV. præcedente mortem ejus (nam annô CIↃ IↃCC XV. A. D. VIII. April. ut puto, mortuus eſt) Amſtelod. in 8t.

XCV. PETRI SCRIVERII Commentatiunculam de Hyginis, quam Thomas Munckerus in Diſſertatione de auctore, ſtylo & ætate Mythologiæ, quæ C. Julii Hygini Auguſti Liberti nomen præfert, p. m. 19. (numerum adſcripſi) *haud contemnendam* vocans, *ex libro, quem nobilis & eruditi viri Gvilielmi Goeſii Bibliotheca poſſedit, a ſe deſcriptam nobiſcum communicavit*, legimus in Eliæ Veneti notis in Svetonium de Illuſtrib. Grammatic. c. XX. r. p. m. 719. à. edit. Hagenſis, M. DC XCI. in 4to.

XCVI. De DANIELE SENNERTO ſcribit Thomas Reineſius Caſp. Hofmanno, Epiſt. XLII. p. 365. Sennerto *Obſervatiunculas meas in Hippocr. loca*, de equo fictili & de coquo e phrenitide gibboſo *placuiſſe video; retulit enim αὐτοῖς ῥήμασιν inter exoterica, quæ in* Paralipomenis *ejus claudunt agmen; non indignor autem, quod me nominare omiſerit, neſcivit enim fortaſſis auctorem; quòd eas, experiundi gratiâ, antequam Variæ publicarentur, communicaviſſem cum amicorum quodam, a quo accepit* Iſte, *ſuppreſſô, quod volebam, nomine. Imò cùm inter poſthuma ejus ſint iſta* Paralipomena, *illas repertas inter ſchedas τοῦ μακαρίτου tanquam ejuſdem publicâſſe Editores*

hæredes, & quod erat ἀδέσποτον parenti ſuo *vendicaviſſe adparet.*

XCVII. CASPARUM SIBELIUM Elberveldo Montanum Eccleſiæ Daventrienſis Paſtorem in Operibus ſuis, Amſtelredami CIↃ IↃC XLIV. in fol. editis multa e Bullingero hauſiſſe conferenti non obſcurum erit. Incidunt hìc mihi verba Joſiæ Simleri Tigurini e f. 9. a. vitæ Henr. Bullingeri, editæ Tiguri 1575. in 4to: *Erat illo tempore non tanta bonorum librorum veterum & recentiorum copia, quantam hodie habemus, quare majoris operæ fuit, tot libros, & commentarios Scripturæ ſacræ conſcribere, quàm hodie ſit, ubi quidam juniorum ipſius* Bullingeri *aliorúmque labores ad verbum penè deſcribunt & pro ſuis evulgant: & præſertim in his regionibus, in quibus propter tyrannica Theologorum edicta, noſtrorum ſcripta locum nullum habent.*

XCVIII. *Æſchyli &* SOPHOCLIS *deſcripti verſus* in Athenæi lib. I. c. XIV. auctore Caſaubonô col. m. 42. Animadverſion. cit. in Athenæi loc. *eâ ſunt inter ſe ſimilitudine, ut alterum alterius inſtitiſſe veſtigiis, natu minorem videlicet grandioris, negari non poſſit, quod mirum ei non videbitur, qui apud Clementem* (lib. VI. Stromat. p. m. 618. ſ. edit. Lutet. M. DC XXIX. in fol.) *& Euſebium* (X. Præparat. Euangel. p. 170.) *τὰ αἰεὶ κλοπῆς veterum Græciæ Scriptorum legerit.*

XCIX. *Multum certè debent*, ſcribit Gulielm. Can-

Canterus Ultrajectinus, II. Novar. Lection. c. XIII. p. m. 107. editar. Baſileæ CIƆ IƆ LXVI. in 8r. HEINRICO STEPHANO, *Roberti Filio, literarum elegantiorum Studioſi, partim alias ob cauſſas, partim quòd Anacreontis odas, Poetæ omnium lepidiſſimi, primus ille tenebris erutas in lucem protulit: nec hoc tantùm, ſed & menda plurima, quæ in hoc opuſculum tum vetuſtatis injuriâ, tum aliorum incuriâ irrepſerant, & ſuô, & doctorum virorum adjutus ingeniô feliciſſimè correxit. Quod quamvìs diligenter, ut omnia ſolet, præſtiterit: non potuit tamen, quin rei difficultate victus, aliis etiam poſt ſe quærenda in hoc auctore, ac diligentiùs examinanda quædam relinqueret.* At intercedit Scaliger, quo de hæc refert Paul. Colomeſius in p. m. 109. Opuſculor. *M. Voſſius m'a dit, qu'il avoit poſſedé un Anacreon, où Scaliger avoit marque de ſa main, qu' Henry Eſtienne n'eſtoit pas l'Autheur de la verſion Latine des Odes de ce Poete, mais Jehan Dorat.* David Abercrombius Scotus, Sect. XI. p. m. 86. Furis Academici, Amſtelod. editi 1701. in 12. *Ne alienigena Romanis*, inquit, *quos inviſurus erat*, Anacreon *videretur*, *Romanam a* Dauratio, *non ab* Henrico Stephano *accepit dono veſtem.* Habeo Anacreontis Teji Odas ab Henrico Stephano luce & Latinitate (repeto verba tituli) nunc primùm donatas, editas Lutetiæ apud eumdem Henric. Stephanum M.D.LIV. in 4to.

C. JOANNES STOBÆUS, auctore Philip.

Jacobô Mauſſacô in initio emendationum & notar. in Plutarchi libellum περὶ ποταμῶν, Tom. II. Oper. Plutarchi p. m. 69. a. edit. Pariſ. M. DCXXIV. in fol. *licet ab hoc Plutarcho, Sermone* XCVIII. de morbis & in eis ſolutione, *ſua mutuatus ſit, nunquàm tamen illic ejus nomen celebrat, imò potiùs eoſdem auctores, ex quibus Plutarchi narrationes petitæ ſunt, producit, ſpretô Plutarchi nomine. Ita in fragmento ſpurio Ariſtotelis, in quo multa congeſta ſunt, quæ hinc avulſa & excerpta fuêre, nullam mentionem factam videas Plutarchi hujus. Quod mirum certè videri queat.* Nobis illud mirum viſum fuit, Mauſſacum paullò ante hæc verba potuiſſe de ſe ſcribere: *Neque tamen omnibus in locis, quibus licitum fuit, conjectare, nobis ſuffecimus, φιλαυτίαν enim & αὐθάδειαν cane pejus & angue odimus, nec nimis noſtri juris ac noſtræ ſententiæ eſſe amamus, ſed in his ſolùm, ubi veritas ita ſe exerit, ut non alio indigeat lumine:* Enimverò qui αὐθάδειαν in Mauſſaci verbis & phraſibus, quas ex aliis arrogantibus Criticis collectas uſurpat, non videt, nihil videt. Sui juris & ſententiæ Mauſſacus eſſe non poterat per curtam ſupellectilem. Sed hæc hujus loci non ſunt, & per occaſionem alibi, in Animadverſionibus noſtris, fortè diſputabuntur & oſtendentur. Titulus iſtius Sermonis Stobæi Baſileenſi in editione mea, M. D. XLIX. in fol. p. m. 537. ita habet: περὶ νόσων καὶ τῆς τῶν κατ' αὐτὴν ἀνιαρῶν λύσεως:

i. e.

i.e. Conradô Geſnerô Doctore Medicô Tigurinô interprete: *De Morbis & Moleſtiarum in eis ſolutione.*

CI. JACOBUM STRADAM Paparum continuatas vitas Panvinio furtô abſtuliſſe his verbis memorat Joh. Jac. Hofmannus, Tom. III. Lexici, p. m. 444. b. editi Lugduni Batav. M. DC XCVIII. in fol. *Onuphr. Panvinius continuavit Platinæ Vitas Paparum, aliáque ſcripſit plurima, multâ eruditione, antiquitatis inprimis peritiâ refertiſſima. Dedicavit vitas Pio V. annô* M. D. LXVI. *quas* Jacobus Strada, Mantuanus, *amicus, illi furtim ſubductas, Venetiis ediderat annô* M. D. LVII. *in qua editione varia menda deprehendit & ſuſtulit.*

CII. In SUIDA, ut habetur in Bibliographia Curioſa, p. m. 35. qui quidem non adeò antiquus eſt; nam ante annos quingentos ampliùs, ſicut putat Caſaubonus, aut ſexcentos, ut Andr. Schottus autumat, Lexicon ſuum magnum contexuit; ex antiquis tamen omnia habet, inſignis Theſaurus Grammaticus habetur. Pauciſſima tamen ab ipſius ingenio profecta ſunt, ſed pleraque ex veteribus ſumſit, & nomina ſuppreſſit. De illo Lexico præclarè meritus eſt Æmilius Portus, Franciſci Porti Cretenſis filius in Academia Heidelbergenſi Linguæ Græcæ Profeſſor olim. Editio inter vulgatas adhuc optima eſt Genevenſis M. DC XIX. in fol. Quid Ludolphus Kuſterus

ſterus in ſua nova Cantabrigienſi editione III. Volumin. laturus ſit, dies docebit. Ex eo tempore nactus ſum eam M DCC V. publicatam, in qua Kuſterum Textum Græcum cum mſſcris codicibus conlatum a quamplurimis mendis purgâſſe, notiſque perpetuis illuſtrâſſe, & Verſionem Æmilii Porti Latinam innumeris in locis correxiſſe, titulus & præfatio docent.

CIII. Frider. Taubmannus in Commentario in Virgilium Witteb. ut puto, edito annô M. DC XVIII. in 4to, e Scaligeri opere de Arte Poëtica, ut & Joviani Pontani duobus dialogis, *Actio* & *Antonio* pleraque deſumpſit; *de ſuo verò ingenio*, ait Auctor Bibliographiæ Curioſæ, p. m. 62. *neſcio quâ puſillanimitate, nihil addidit, aut certè pauciſſima.* Sanè Taubmannus talium operum juxta præſtandorum atque exigendorum par vix erat. Eruditi homines & prudentes, qui ſe ad antiquitatis doctæ & ſummorum Scriptorum monumenta renovanda atque exponenda occupant, majus ſciunt id negotium eſſe, quàm quod a Taubmanni ingenio & eruditione mediocri poſſit exſpectari. Vis noſtrum de Taubmanni Plauto & Virgilio judicium? congeſſit & conlegit: in nonnullis tamen majorem adhuc deſidero diligentiam; cùm multi plura Plauti & Virgilii inluſtrârint loca, quorum Taubmannus in notis non meminit.

CIV. Te-

CIV. TERENTIUS, auctore Janô Gvlielmiô Lubecenſi c. IV. Quæſtionum in Aſinar. Plauti, p. m. 32. *Plauti verſum* 126. Act. III. ſc. I. *totum* Malum quod iſti dî deæque omnes duint: *exſcribſit, non imitatus eſt* Phorm. v. VII. 83. *Multa*, inquit ipſe ille Gvlielmius, c. IV. Quæſtionum in Plauti Capteiv. p. m. 79. editar. Lutetiæ cIↄ Iↄ XXCIII. in 8t. Terentii *Plautinis ità ſimilia ſunt, ut dubitari non poſſit, quin ad hæc exempla Poëta reſpexerit; neque me fugit, quibus idem ſtudium, argumentum, & prope ſæculum eſſet, in complurìa eadem illos neceſſariò incurriſſe. Sed profectò imitatio* Terentio *vel inprimis profuit, cùm commodè dicta venuſtiora etiam & politiora effingeret.* Quod totum per illud caput multis oſtendit exemplis; ſicuti & c. v. Quæſtionum in Plauti Milit. Glorioſ. p. m. 205. ſ.

CV. TERTULLIANUS, ſi Joſephum Scaligerum in Dedicat. Theſauri Temporum, p. m. 6 audimus, *è Juſtini Martyris Dialogo cum Tryphone non paucas ſententias in ſuum librum adverſus Judæos tranſcripſit, qui id argumentum longè feliciùs exequitur.* Si Petrum Halloix Leodienſem, Jeſuitam, in Vita & Documentis S. Juſtini, p. m. 164. princip. edit. Duac. M. DCXXII. in 8t. Tertullianus *in toto illo ſuo libro adverſus Judæos, egregiè* Juſtini Dialogum contra Tryphonem *decimavit.* Idem in p. 172. ibidem: *Hactenus è Juſtino*, inquit, *quæ ad circumciſionem ſpectant, non omnia, ſed præcipua:*

quæ

qua Tertullianus *liberaliter in libro adverſus Judaos vindemiavit.* Ceterùm Juſtini Martyris cum Tryphone Judæo Dialogum, ſecundum regulas Criticas examinatum, & νοθεύσεως ſeu falſitatis & ſuppoſitionis ſuſpectum atque convictum operâ & ſtudiô Chriſtiani Gottlieb Kochii, edit. Kiloni M. DCC. in 8t. adſeruit Cl. Albertus a Felde Bremenſis, Theologus Kilon. eximiæ & non Vulgaris doctrinæ, epiſtolâ quadam Sleſwici edita in 8t. M. DCC. Exierunt & Jenæ annô 1705. in 8t. Vindiciæ Juſtinianæ, ſive pro Juſtini Martyris Dialogo cum Tryphone Diſſertatio Apologetica D. Erneſt. Salomon. Cypriani, magnâ integritate atque innocentiâ Theologi, amici olim noſtri, qui munere nos iſtô donavit.

CVI. *Joannes Crato adfirmat*, referente Melchiore Adami in Vitis Germanor. Medicor. p. m. 34. editis Haidelbergæ M. DC XX. in 8t. Theophrastum Paracelsum *non primum inveniſſe ſua remedia ſed in libro quodam ante ducenios annos ſcripto a Monacho reperiſſe.*

CVII. Timagenes, Plutarcho in De Fluminib. & quidem in Arari, p. m. 1151. D. Σύρ☉, Ammiano Marcellino, lib. XV. c. IX. *& diligentiâ Græcus & linguâ*, a Calliſthene Sybarita, ut advertit Philip. Jac. Mauſſacus in notis in citatum Plutarchi locum, p. m. 74. a. *multa deſumpſit, imò integram librorum de rebus*

Gal-

Gallicis hypotheſin: unde colligere licet, vetuſtiſſimum eſſe illum Calliſthenem. Timagenes *enim illum* (Calliſthenem;) *Strabo verò* Timagenem *laudat* (lib. IV.) Et ibidem p. 73. extr. idem Mauſſacus: Calliſthenem *laudare maluit Stobæus, Sermone* XCVIII. *quàm auctorem noſtrum* (Plutarchum) *ex quo ſine dubio ſua habuit. Calliſthenes adeò vetus autor eſt, ut ejus* rerum Gallicarum *libros non extitiſſe Joannis Stobæi tempore probabile ſit.* In verbis Ger. Jo. Voſſii, III. de Hiſtoric. Græc. p. m. 338. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LI. in 4to: *Calliſthenes Sybarita conſignavit* Γαλατικὰ i. e. de rebus Galatarum; *quorum librum* XXIII. *citat Plutarchus librô de Flum. Librum* XIII. *Stobæus, Serm. de Morbis, & moleſtia in eis ſolutione;* errârunt operæ; neque enim Plutarchus lib. XXIII. habet, ſed XIII. ut rectè ille ipſe Voſſius ibidem, p. 420. ſcribit: *Timagenes Syrus res Gallicas prodidit; inque eo opere multa mutuatus eſt a Calliſthene Sybarita. Plutarch. de Flum. c. de Arari:* Καθὼς ἱστορεῖ Καλλισθένης ὁ Συβαρίτης ἐν ιγ Γαλατικῶν παρ' οὗ τὴν ὑπόθεσιν εἴληφεν Τιμαγένης ὁ Σύρος, i. e. ut refert Calliſthenes Sybarita, lib. XIII. rerum Gallicarum, a quo argumentum accepit Timagenes Syrus. In eo autem, quod ibidem ſubjicit idem Voſſius. *De iſtis Gallicarum rerum Commentariis locum etiam illuſtrem habemus apud Ammian. Marcellinum, lib.* XV. Ambigentes ſuper origine prima Gallorum ſcriptores veteres, notitiam re-

reliquêre negotii ſemiplenam: ſed poſteà Timagenes, & diligentiâ Græcus, & linguâ, quæ diu ſunt ignoratæ (in meo exemplari eſt: *hæc, quæ diu ſunt ignorata*) collegit ex multiplicibus libris: cujus fidem ſecuti, obſcuritate dimotâ, eadem diſtinctè docebimus & apertè. *Caſaubonus in lib.* IV. *Strabonis*, (p. m. 188. edit. Pariſ. CIƆ IƆCXX. in fol.) *&* *Paullus Merula, Coſmographiæ ſuæ part.* II. *lib.* III. *c.* I. p. m. 4. edit. Amſterdam. M. DCXXXVI. in 12. *videntur putâſſe, diſſentire Ammianum à Plutarcho, quia hic Græcum ille Syrum vocet.* (Potuiſſet & nominare Mauſſacum, loc. cit. ſcribentem; *qui a Plutarcho Syrus, ab Ammiano Marcellino Græcus vocatur) Sed Ammianus Græcè quidem ſcripſiſſe dicit; origine Græcum fuiſſe, minimè addit*; In eo, inquam, Voſſio non adſentior, cùm Cornelio Nepoti, l. III. 2. *Græcâ linguâ loquentes*, v. 4. ſint *Græci genere*. Errat autem Frideric. Lindenbrogius in notis cit. ad Ammiani loc. e Suida putans unum eumdemque Timagenem eſſe Marcellini, & auctorem Peripli, Auctore Voſſio enim, *alius ab hoc Timagene Syro, eſt Timagenes Mileſius, Hiſtoricus, & Orator; ut eum vocat Suidas. Hunc potiùs ſignat Strabo, lib.* XV. *ubi ex Timagene quiddam de Hyperboreis refert. Nihil enim illud ad res Gallicas pertinet; ſed ad* Periplum, *quem deſcripſit* Timagenes *alius*: Interim non dubium, quin ille, Straboni in IV. memoratus, ſit hic Gallica-

rum

rum rerum ſcriptor. Nam loquitur de theſauris Toloſæ in Galliis a Cæpione inventis, quos partem eſſe pecuniarum dicit, a Gallis ablatarum Delphis. Ad Henr. Valeſium in notis cit. in Ammiani loc. Timagenem Alexandrinum Rhetorem, & Regii nummularii filium intelligentem, vide eundem Voſſium, lib. I. de Hiſtoric. Græc. c. XXIV. princip. p. m. 151. ſ.

CVIII. ROBERTUM TITIUM, lib. II. Adſertionum c. XV. ex Giſanii Lucretiano Indice tranſſcripſiſſe quædam, teſtatur Frideric. Taubmann. in Plauti Captiv. V. IV. 7. p. m. 301. b. edit. ut puto, Witteberg. M. DC XXI. in 4to.

CIX. Palæphatum de Incredibilibus Amſtelodami editum annô M. DC XLIX. in 12. CORNELIUS TOLLIUS in Latinum ſermonem vertit & notis inluſtravit; *quem*, Tollium, *Voſſii quondam amanuenſem, pleraque domino ſuo debere, ajunt*; referente Chriſtoph. Arnoldô in Epiſtolis Richterianis, p. m. 476. Thomas Reineſius, Epiſt. II. ad Joa. Andr. Boſium, p. m. 12. edit. Jenæ M DCC. in 12. iſto de libro hæc habet: Palæphatus Tollii, *quem a Gronovio habeo, nunc ad Te redit. Hic, p. 151. malè vocavit* Lælapum, *quem debebat* Lælapem. *Perperam etiam, p. 176. emendavit Senecam, pro* tela *reponens* bella: *adſentitur hic mihi Cl. Gronovius, Flori ῥῆσιν non evincere in Seneca quid-*

quam

quam mutandum. Inſcriptio Græca, p. 212. Ἡρακλέους πράξεις *continens videtur etiam quædam Theſei referre; & conſuevere veteres confundere utriuſque geſta, quòd eſſent propinqui nati e conſobrinis.*

CX. JACOBI PHILIP. TOMASINI *Scripta vidiſtine?* quærit Caſpar. Hofmannus, Epiſt. XLIV. e Reineſio, p. m. 377. & reſpondet: *Sunt Johann. Rhodii: hinc adeò pueri bibliopolarum Venetorum digitô illum monſtrantes: Hic eſt ille, dicunt, qui libros edit ſub nomine* Tomaſini. Et Epiſt. XX. idem Hofmannus p. m. 57. ad Reineſium eumdem ſcribit: Joh. Rhodius *genere Danus, ante 16. annos hàc tranſiens, amicitiam contraxit mecum, quam etiamnum fovet. Vixit interea ſemper Patavii, variis deditus ſtudiis, & ὡς φήμη φημίζει, autor ſcriptorum illorum, quæ hactenus ſub nomine* Jac. Phil. Thomaſini *prodiere. Inter hæc habeo Elogia clarorum virorum* de Donariis, vitam Livii & Petrarchæ, *quos* (f. *quæ*) *facilè ex Italia procurârit Tibi Fleiſchmannus tuus.* Tomaſinus *ipſe Patavinus eſt, Canonicus regularis D. Georgii in Alga, & Cœnobiarcha D. Mariæ in Vantio, hodie Epiſcopus Æmonæ, qui iſtis ſcriptis Cardinalatum dicitur ambire, promiſiſſe etiam Rhodio Canonicatum in ſummo templo Patavii, al Domo.* Et in Epiſtolis Selectioribus Georg. Richteri, p. m. 252. editis Norimbergæ M. DC LXII. ille ipſe Hofmannus dictum ad Richterum ſcribit: *Donaria mea cum*

tabellis votivis fuiſſe grata adverſum TE, valde gaudeo. Facio autem Tibi indicium, omnes, qui iſthuc veniunt, negare, eſſe hoc ſcriptum Presbyteri illius, ut & alia, quæ nomen ejus præferunt: ſed Johan. Rhodii, cujus inter alios ſit mentio in ipſo veſtibulo. Danus is eſt genere, qui ante hos 16. annos hàc tranſiens, in Italia, (f. *Italiam*) *ad me viſit, fecitque amicitiæ initium.* Jac. Phil. Tomaſini de Teſſeris Hoſpitalitatis librum ſingularem lego ex editione Amſtelod. M DC LXX. in 12. Ejuſdem Tomaſini Titus Livius, ibidem editus eſt eod. annô in 12. Joannis Rhodii Diſſertatio de Acia ad Cornelii Celſi mentem exiit Patavii CIↃ IↃC XXXIX. in 4to; de qua verba Petri Gaſſendi, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſiti, & Pariſiis regii Matheſeos Profeſſoris ſubpono, e p. m. 186. Vitæ Nicolai Claudii Fabricii de Peireſc, editæ Hagæ opt. M. DC LV. in 4to: *Nec verò iſta modò miſit* Peireſcius Salmaſio, *ut ſuppetias ferret ſcribenti* de Romanorum militia: *verùm expreſſa quoque varia fibularum genera, ad complendum opus, quod ille de re veſtiaria aggreſſus fuerat, occaſione Diſſertationis inſtitutæ de Acia molli, quam non nimis tortam uſurpandam eſſe ad ſuturas, & fibulas glutinandis vulneribus comparatas, Cornelius Celſus ſcriptum reliquit. Nempe Alphonſus Nunneſius & Jacobus Chiffletius, Medici celebres, contendunt Aciæ nomine intelligi debere acum, vel quidpiam aliud metallicum: eruditus ve-*

verò Franciſcus Rioya, & Franciſcus Figueroa, ipſe quoque Medicus clarus, delere potiùs intelligi vel lineum, vel ſericum filum. Exſpectatur autem quid de Controverſia tum Salmaſius definiat, tùm alius quoque Peireſkii amicus ex Dania, Joannes Rhodius medicus, *qui ſede Patavii delectâ, non minùs litteris ingenuis, quàm artis præſtantiâ clareſcit.* Ille ipſe Rhodius Patavii M. DCLV. in 4to Scribonii Largi Compoſitiones Medicas edidit, recenſuit & eruditiſſimis notis inluſtravit non ſine Lexico Scriboniano nos multa docente. Liber valde rarus eſt. Nos utrumque Rhodii librum accepimus e Bibliotheca Stephani le Moyne cum notis ejus mſcris.

CXI. LÆVINUS TORRENTIUS in Svetonium ſcribens, Lipſium aliquando conſuluit & inſpexit. Vide & confer illius notam in lib. V. c. XVIII. 2. p. m. 455. a. edit. Hagenſ. M. DCXCI. in 4to, cum hujus nota 69. in Tacit. XV. Annal. XL. 3. p. m. 253. b. edit. Pariſ. M. DC VIII. in fol.

CXII. Rabbi ABEN TYBBON elegantiſſimum libellum de rebus Phyſicis ferè transſcripſit de libris Moſis ben Maimon, Judæorum omnium ſine controverſia præſtantiſſimi, ut tradit Iſ. Caſaubonus in Jul. Capitolini Gordian. III. c. XXXI. p. m. 127. b. Tom. II. Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor. edit. Lugdun. Bat. 1671. in 8t.

CXIII. JOHAN. VALCKENIERIUS Colonienſis,

nienſis, Profeſſor Theologus Lugdunenſis in Quæſtionibus Philologico-Theologicis ad illuſtrationem loci, Matth. II. I. editis Hardervici CIↃ IↃC LIV. in 8t. multa debet Frid. Spanhemii Dubiis Euangelicis. In Roma Paganizante, Franek. 1656. in 4to edita, Valckenierium eumdem tum, ſicuti & cùm ſuperiorem tractatum ſcriberet, Profeſſorem Hardervicenum, Joh. Forbeſii Inſtructiones Hiſtorico-Theologicas ſubpilâſſe ante nos jam alii notârunt. Academiæ præter nomen non multum amiſiſſe mihi videntur in iſto viro.

CXIV. VEGETIUS RENATUS, lib. III. Mulomedicinæ, ſive Artis Veterinariæ, quam Hermannus Comes Nevenarius annô M. D. XXVIII. edidit, c. III. omnia ferè a Columella, lib. & c. VI. ad verbum mutuatus eſt, teſte Hierônymô Mercuriali, de Potionibus ac eduliis antiquorum, c. XIII. princip. col. 488. B. Volum. IX. Theſauri Græcar. Antiquit. Lugduni editi annô M DCCI. in fol.

CXV. Edidit P. STEPHANUS LAMBERTUS VILLAFANUS Burgundô-Sequanus e Societate Jeſu, & in Cæſareo Madritenſi Collegio Eloquentiæ Profeſſor opera Poëtica, in quibus pleraque (repeto verba Dan. Georg. Morhofii, I. Polyhiſtoris Literarii c. IX. p. m. 84. editi Lübecæ M. DC LXXXVIII. in 4to) ex aliis optimæ notæ Poëtis ſunt congeſta, ſed ita, ut per lacinias hinc illinc petitas carmina

ſua quaſi conſueret. Ex levi eorum inſpectione ſtatim adparuit illa fraus. Nam ex Auguſtini Maſcardi, elegantiſſimi Poetæ, ſylvis, Paſſeratii Poëmatibus & Emanuelis Theſauri Inſcriptionibus pleraque compilata notavi; quod argumento eſt, etiam cætera, quorum non illa notitia nunc eſt, furtô alicunde ſubrepta. In Epicediis Reginæ Iſabellæ Borboniæ pleraque excerpta ſunt e Maſcardi Sylvarum lib. III. de Rebus triſtibus & e Deliciis Poëtarum Gallorum. Epicedia in funere Principis Hiſpaniæ Balthaſaris Caroli pleraque, imò omnia, e Maſcardo conſarcinata. Illud verò Epitaphium elegans, quod in Villaſano p. 289. legitur, totidem verbis in Maſcardo legitur; niſi quòd unam vocem mutaverit:

Vix matutinum ſurgebat Cæſaris aſtrum
Lumine promittens uberiore diem:
Aſt immaturam obnubit mors pallida lucem,
Nec ſinit e medio vibret ut axe facem.
O lucem ſine luce brevem! vix Lucifer ortus
Solem præveniens Heſperus emoritur.

Quæ p. 286. 287. apud Villaſanum leguntur, e Paſſeratii Poëmatibus, quæ in Deliciis Poëtarum Gallorum habentur, part. III. p. 156. & p. 171. aliqua ex parte tranſſcripta. Vafrities hujus hominis ex eo etiam apparet, quòd in titulo libri impreſſionis annum non appoſuerit, quem tamen Cenſores libri produnt.

Con-

Confuſô enim tempore incertum, quis verè plagiarius. Inſcriptiones in Principem ſuum ex Emanuelis Theſauri Inſcriptionibus compilavit. Et aliquot interjectis pergit ibidem Morhofius, p. 84. extr. 1. *Extant orationes cujuſdam non ignoti Jeſuitæ, quæ multam partem ex Italicis Panegyricis Emanuelis Theſauri deprompta ſunt. Dum enim acutum dicendi genus, qui morbus quorundam eſt, nimis affectat, etiam ne ſententiolæ deſint aliunde furatur.*

CXVI. VIRGILIUS, ut Prima Scaligerana, p. m. 71. habent princip. *a Lucretio multa deſumpſit. Lucretius bonus liber eſt, nec melior alius auctor Linguæ Latinæ.*

CXVII. CONRAD. VORSTIUS, auctore Sibrandô Lubertô, p. m. 5. Declarationis Reſponſionis D. Vorſtii, editæ Franckeræ CIƆ IƆC XI. in 8t. *Tractatum* ſuum *de Filiatione penè de verbo ad verbum deſcripſit ex libro Anonymi Samoſateni qui Wieco reſpondit. Sed ita interpolavit, & diſpoſuit eum, ut videatur planè novus eſſe.* Et p. 131. Vorſtius *non tantùm evolvit Socinianorum libros, ſed illos etiam interpolavit, auxit, diſtinxit, & excudi curavit. Equidem Socini librum de autoritate ſacræ Scripturæ a Dominico Lopes Hiſpali editum auxit, illuſtravit, & Steenfordii* (l. *Steinfurti* M. DC XI. in 8t.) *excudi curavit. Tractatum de Filiatione penè de verbo ad verbum ex libro anonymi Samoſateni, qui Wieco reſpondit, deſcripſit. Tractatum de ſeptimo*

capite ad Romanos ex libro Proſperi Dyſidai (ſive Fauſti Socini) *penè totum tranſcripſit. Tractatum de Chriſti Satisfactione ex libro Socini, de Chriſto Servatore, conſarcinavit. Libros de DEO ubique phraſibus Socini tanquàm floſculis aſperſit. Commentarios, quos in ſchola dictavit, penè ex ſtercoribus Socini congeſſit.* Reſponſio ad libellum Jacobi Wujeki Jeſuitæ Polonicè editum de Divinitate Filii Dei & Spiritus ſancti, principiò, annô, ut puto, M. D. XCII. ſubpreſsô auctoris nomine, publicata, deinde ſub nomine Fauſti Socini Senenſis typis Sternacianis annô M. DC XXIV. in 8t. in lucem edita eſt, quam habeo. Ille ipſe Vorſtius, tradente Gisbertô Voëtiô, Sect. II. Therſitis c. III. p. m. 177. extr. edit. Ultraject. M. DC XXXV. in 4to, *Theſes ſuas de Natura DEI ex Zanchio magnam partem deſcripſit; Zanchius verò Scholaſticis multa debet.*

CXVIII. Gerard. Joan. Vossius, ſi judiciô Auctoris Bibliographiæ Curioſæ, §. 14. p. m. 29. ſtandum, *in majori ſuo opere* de Arte Grammatica *ex* Scioppio *plurima ſine ulteriore examine deſcripſit, & totam ferè Syntaxin ſuam ex eodem collegit.* Πολυμαθέςατ@ *Joan. Gerard.* (l. Ger. Joh.) *Voſſius*, ſcribit Exercitat. XVII. n. 2. p. m. 388. edit. non opt. Groning. CIↃ IↃC LVII. in 8t. Martinus Schoockius Ultrajectinus, *in Epiſtola ſubjecta Salmaſii Tractatui* (Epiſtolæ ad Andr. Colvium ſuper c. XI. primæ

ad

ad Corinth. Epiſtol. de Cæſarie Virorum & Mulierum Coma, Lugduni Bat. CIƆ IƆCXLIV. in 8t.) *de Coma, arat, ut plerumque in ſcriptis ſuis, vitula Incomparabilis Theologi D. Franciſci Junii, ut cuivis patebit, ſi voluerit modò inſpicere hujus Animadverſiones ad c.* XL. *Bellarm. lib.* II. *de Monachis.*

CXIX. De GERHARDI VOSSII, ſive *Voſkens*, Borchlonii, Eburonis, Præpoſiti Tungrenſis, Protonotarii, ut dicunt, Apoſtolici, ac Theol. Doctoris Romani, verſione operum Ephræmi Syri e Græca in Latinam Linguam, hæc habet Petrus Lambecius, Tom. I. Comment. Biblioth. Vindobonenſ. p. 122. Voſſius, *ſimius Ambroſii Camaldulenſis, cujus mentionem magnô quidem ſilentiô de induſtria præteriit, nullámque verſionis Ephræmi antiquæ mentionem fecit, cùm tamen ſuô, ceu ſorex, ſe prodiderit indiciô, uſum ſe illâ fuiſſe: & plus centum annis illa Latina verſio* Ambroſii Camaldul. *Voſſianâ antiquior eſt.* Quibus adductis hæc ſubponit D. Joh. Gottfrid. Olearius Theologus multâ probitate inſignis & doctrinâ, in Indice primo Abaco Patrologico edito Jenæ M. DCLXXIII. in 8t. ſubjunctô, Voc. *Ephræm Syrus: Prodiiſſe quoque* Ephræmum *Latinè, Colon. Agripp.* M D. XLVII. *Venetiis* Fr. Zinô *interprete*, M. D. LXXIV. *& Germanicè* Joh. Schwaigerô *tranſlatore Moguntiæ* CIƆ IƆ LXV. *idem* D. Lambecius *refert.* Cum notis Voſſii Ephræ-

mi opera III. Tomis prodiêre Romæ CIↃ IↃ LXXXIX. M. D. XCIII. in fol. & Coloniæ MDCIII.

CXX. Theodori Zwingeri Theatrum Vitæ Humanæ *aliquoties editum eſt*, ait Morhof. Polyhiſtoris Literarii lib. I. c. XXI. p. m. 243. *cujus ille primus autor non fuit, nam a* Conrado Lycoſthene *viro erudito, ab apophthegmatum & Similium Collectaneis celebri* (Colonienſem ſive potiùs Argentoratenſem hic commendo editionem Lycoſthenis, ſive Wolfkraftii, Apophth. M. DCXI. in 8r.) *initia ſua accepit: Inprimis moleſta eſt tam anxia & ſollicita rerum diviſio, quæ neſcio quam μικϱολογίαν ſapit, in hoc ſcriptorum genere inutilem; diſtrahit enim animum & oculos inquirentis. Sub eodem titulo a Bayerlingio Antverpiæ liber ille prodiit, ſed accommodatiore ordine alphabeticô, & longè auctior. Ille itaque poſterior labor præferendus eſt Zwingeri laboribus.* At auctori Bibliographiæ Curioſæ, ſive Bœclerus ſit, ſive alius, p. m. 115. aliter viſum; *Huc quoque pertinet*, do verba ejus, *vaſtum illud* Theod. Zwingeri *opus*: Theatrum Vitæ Humanæ V. Tomis *conſtans. In quo tamen* Beyerlingum Jeſuitam, *hanc ei gloriam, editô* (Theatrum Vitæ Humanæ *quoque inſcripſit*) *ſimili opere eripere percupientem, methodô diligentiâque ſuperat.* Thuanus *elegantiſſimum*, in Vita ſua *de hoc viro judicium habet, dum ſcilicet in* Zwingero *promptiſſimum reperiiſſe* (l. *reperiſſe*) *dicit ingenium, digniúſque, quàm*

ut

ut ejuſmodi operibus conſumeretur, ſi non majorem nominis ſoceri & popularium ſuorum, qui ſpiſſæ molis librorum congerie ferè gaudent, quàm propriæ laudis rationem habuiſſet. In verbis adlegata præcedentibus ſic judicat Morhof. Theatrum Vitæ Humanæ Zwingeri & Bayerlingii *vaſta exhibent volumina per omnes rerum titulos deducta, magis tamen ad eloquentiam quàm Philoſophiam inſtructa; quæ enim ad ſcientias pertinent, modicô apparatu proponuntur, materiæ morales & civiles, quarum uſus in eloquentia præcipuus eſt, majori curâ ſunt congeſtæ. Meliùs faciunt, qui Excerpta ad diſciplinas, quà diſciplinas, ſpectantia ſejungunt, quarum ſingulis ſingularem ego librum deſtinari vellem.* Nolo hìc præterire egregiam Zwingeri indolem in actione quadam ſcenica primùm innotuiſſe; ſic enim in ejus vita Melchior Adami, p. m. 301. edit. Haidelb. M. DC XX. in 8t. *Statim in ipſa pueritia, quid patriæ de ſe exſpectandum eſſet, fecit indicium. Cùm enim in Dramate quodam Scenico à* Thoma Platero, Felicis patre, *publicè exhibito* Cupidinis *perſonam ſuſtineret: ita ipſe geſtuum gratioſâ varietate, actionis venuſtate, pronunciationis jucunditate, in ſeſe convertit omnium ora, oculos, animos, ut aliis ſpectatorum præ gaudio lacrymæ ſtillarent; alii ſuſpiriis teſtarentur applauſum; alii cum Poëta exclamarent:*

Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Concluſuro hanc epiſtolam veniunt in mentem huc facientia Thomæ Reineſii ex Epiſt. xxxv. ad Chriſtoph. Adam. Rupertum, p. m. 251. digna profectò quæ cognoſcantur a nobis: *In Italorum*, inquit, *qui haſce literas ſectantur quoque, notitiam te veniſſe, faciente Volcamerô, lætor ex animo, præſertim in Servii Romani, & Jo. Bapt. DonI Florentini. Noſtrates eò rari commeant: unde nec literis adire quemquam talium, ſi maximè vellem, poſſum. Hoc ſaltem de ejuſmodi monere, fortaſſe memorem, volo; Solere nobis interdum imponere, præſertim cùm ſua nos admirari ſentiunt, & abuti credulitate noſtrâ & ſtupore, ſi in eum datos nos viderint. Sanè SCta duo, quæ a Servio accepiſſe dicis, ante annos penè XLta iiſdem literis, lineiſque reperta HerculanI ex ærea tabula, ſervata a Matthæo Conch. Princ. publicavit* Julius Cæſar Capacius, lib. II. Hiſt. Neapol. c. IX. *quam Neapoli impreſſam annô 1607. apud J. Jac. Carlinum habeo, mirum ni ex ea potiùs, quàm ex ipſa tabula deſcripſit iſte. Variantes in iis lectiones & emendationes fortaſſe habebis infra. Falleris etiam a* Tomaſino, *ſi marmor, in quo mentio* Corporis PAUSARIORUM (*Sic enim legendum eſt.*) *annô* 1634. *Romæ erutum fuiſſe credis; habet enim idem* Salmaſius, notis ad Spartiani Caracallam, *quæ annô* 1620. *Pariſiis prodiêrunt. Neapolitanum ejuſdem* Tomaſini *in domo Comitis Matalonæi viſum habet quoque* Gruterus I. *p.* CCCXXIII. *Item* Capacius,

l. d.

l. d. c. XXI. *qui vidit in domo OctavI Cæſaris, Conſiliarii. In eo quinam ſint* HELIOPOLITANI, *anxiè non eſt quærendum.* Capacius *Cumis Neapolin adlatum eſſe dicit; ſed fallit. Fuiſſe Neapolitanos in cultum Apollinis, Hebonis, Mithræ, Serapidis, Bacchi, qui iidem cum Sole, δύεπιφόρες patet ex ipſorum nummis; unde ſcilicet Heliopolitani adpellentur, mirari nemo debet, cùm etiam Athenienſes a Minerva πολιέχῳ ϗ πατρώῳ θεῷ nomen adſciverint.* Lycophoridis *in eo* numen *ignorare ſe dicit* Capacius, *& cùm eo* Cl. Thomas Bartholinus, lib. de Luce Brutor. c. V. p. 237. edit. Hafn. M. DC LXIX. in 8t. *Lubenter & nos ignoramus; nunquam enim aliquod fuit.* Lycophoros *inter Sacerdotes & religioſos recenſent autores Indicis, c.* III *velim, quare? dicam ὡς ἦν ἐπ᾽ ἐμοί, quod res eſt.* LYCOPHORUM I. O. M. POSUERUNT DE SUO; *h. e. Lychnophorum inter vaſa pro ſacrificiis alia in templo Cereris conſecratum.* Λύκη, *prima lux:* λυκόφως, ὁ βαθὺς ὄρθρος. *Quid in hoc Lapide viri docti viderint, patet ex Indicis c.* II. *&* X. *ubi de Templo Ceremelienſium, neſcio quâ orbis regione invento, nos docent.* Hæc Reineſius. Juvat Euſtathius interpres Homeri Ιλ. η. 431. ſcribens: Ἀμφιλύκη νὺξ τὸ καλούμενον λυκόφως τὸ πρὸς ὄρθρον, τοῦτ᾽ ἐστὶ ὁ βαθὺς ὄρθρος πρὸς τὴν λύγην, ὅ ἐστι σκολίαν, τὸ μὴ καθαρὸν φῶς ἀλλ᾽ ἔτι σκοτῶδες. *Inſcriptionum*, pergit Reineſius, ibidem, p. 254. *quas e Tomaſini libello deſcripſiſti ſecundam habet*

quoque Grüterus, 14. *locô*, *p.* M LXXIV. Adde eumdem Reineſium, III. Variar. Lection. c. XVI. p. m. 591. ſ. edit. Altenburg. M. DC XL. in 4to. Perpendenda quoque hoc in negotio ſunt verba Caſp. Barthii in Animadverſionib. ad Statii VI. Thebaid. v. 6. p. m. 344. Tom. III. *Ineptiunt hodie, qui ſine doctorum hominum collectis ſententiis, iiſque cenſitis, tale quid ſcribere moliuntur, non enim fieri poteſt, quin ex pluribus unus aliquis, quocumque etiam Apolline doctus, plura, quàm ex ſua induſtria diſcat; & præterea neceſſe erit, incurrat cogitationes & obſervationes aliorum aliquando totas, aliquando partitim. Unde ſuſpicionem malignitatis minimè eximet prioribus Scriptoribus, ſua, ut ſit ubique in his litteris, quæ prorſus, niſi ſingulari ingeniô præditis, ridiculè tractantur, tenerrimè diligentibus.* Inviſebat ad me in hoc argumento occupatum non nemo ex eruditorum numero, & cùm ex me libri materiam didiciſſet, ſatis lepidè reſpondebat: Emi libros meos, quare illis non uterer? Hæc ad TE ſcripſi paullo verboſiùs fortaſſe quàm TU velles: ſed ſi in eo TE offendi, quòd rem iſtam pleniùs tractârim & expoſuerim copioſiùs, TU me voluminibus poſthàc ſive editis, ſive ineditis obruas tuis licet. Egò pro mea in Te & honeſtiſſimum Parentem Tuum ſingulari benevolentiâ, omnia vobis proſpera & ſalutaria evenire cupio. Vale. Lugd. Bat. A. D. X. Kalend. Octobr. M. DCCIV.

FINIS.

THOMÆ CRENII
DE
FURIBUS LIBRARIIS
DISSERTATIO
EPISTOLICA II.

Ad Virum non minùs probum quàm litterarum Fridericum Danielem Knochium.

I. QUum in cœpto me velis, cujus illos jam tum fines conſtitueram, opere progredi: ne gloriari noſtris ſemidoctis libeat alienis bonis ſuóque potius habitu vitam degere, ut cum Phædro dicam, facta Tibi, quæ velis, cupio. Neque me malè monuiſti, cùm impudenter multos facere videamus, ſuo qui nomini velint ex aliorum laboribus libare laudem. Nam ſi eorum volumina, qui aliquot antè annis ſcripſerunt, prehenderint, & ſuum quiſque de libris ſuſtulerit, nihil iſtis, quod ſuum velint, relinquetur. *Eos*, inquit Ludovicus Vives in V. de Tradendis Diſciplinis, p. m. 682. extr. ſ. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃCXXXVI. in 12. *per quos profecerit quis, citet benignè*, nec velit, *ut ait Plinius, in præfat.* Natur. Hiſtor. p. m. 7.

8. in furto deprehendi potiùs, quàm mutuum reddere, *præſertim quum* ſors fiat ex uſura. *Olim adeò erant in ſuum cuique tribuendo æqui, ac liberales, ut ne verbum quidem unum autori ſuo ſurriperent: Declarant id Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, & alii: nunc & verba, & ſenſa, & argumenta etiam integra, nonnunquàm inventa & opera ſubtrahuntur: quod ſervile eſt admodùm, magnarumque ſimultatum in ſtudiis origo. Cui enim non ſit grave, ſervos ſibi ſuos abduci; nedum filios? Utinam & de hoc plagio, aliquid cautum eſſet* Lege Fanniâ. Sed Vivi nominati ceteris de plagio ſe non excuſant. De Platone vide b. Jacob. Thomaſium de Plagio Literario, p. m. 232. ſ. §. 522. ſ. edit. 1692. in 4to; uti & Ariſtotele, p. 160. ſ. §. 364. ſ. (quem & nos attigimus, in ſuperiore Diſſertatione noſtra, n. VIII. p. 29. ſ.) item de Cicerone p. 136. §. 317. ſ. p. 171. §. 392. 337. p. 148. dictus ubi Thomaſius citata verba Vivis expendit. Platonem & Senecam infra ſuô nos & habebimus locô. De Plutarchi furtis diximus part. X. Animadverſionum noſtrar. c. II. §. IX. p. 198. Lex Fannia mihi revocat in memoriam Legem illam Laurentium: *Ne pomum ex alieno legatur in armum*, Feſto in Voce *Armata* memoratam, p. m. 37. edit. Amſtelod. M. DC XCIX. in 4to, *Legibus Laurentium ſancitum eſt, ne pomum ex alieno legatur in armum, id eſt, quod humeri* (Fulvius Urſinus in no-

notis ad Leges & Senatus conſulta, quæ in veteribus cum Lapidum æriſq. tum Scriptorum monumentis reperiuntur, col. m. 1375. extr. Tom. II. Theſauri Antiquitatum Roman. edit. Traject. M. DC XCIV. in fol. *humeris* legit, ubi, & voc. *Armata*, Feſti, *ſive Armita*, addit) *onus ſit*; quam an Gerardus Voſſius in p. m. 90. Notar. in Vellej. Patercul. II. c. LXXII. edit. Lugdun. Batav. M. DC LIV. in 12. hanc ad plagii rem conferat rectè, dubito. Cl. Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius in Sota, p. m. 200. edit. Altdorf. M. DC LXXIV. in 4to notari vult Judæorum ſummam in recitandis aliorum dictis circumſpectionem, quâ diligentiſſimè Autores ſemper laudant, nec unquam, modò quid ab hoc, aut illo, prolatum eſſe, tantilla ſubſit ſuſpicio, id ipſum indicare negligunt. *Hinc longâ*, inquit, *ſerie unum Doctorem nominant poſt alium, atque non tantum primus excogitator ſapientis alicujus dicti, ſed & ii, quorum interventu ad alios propagatum eſt, ac pluribus innotuit, æternâ celebrantur memoriâ. Cauſam tantæ in laudandis Autoribus ſolicitudinis, geminam deprehendimus, atque ſic facere, tum ipſorum Autorum, tum illorum, qui ab iis dicta repetunt, ſummoperè intereſt. Nam uti in Schekalim Jeruſchalmi inter Excerpta En Iſraël f. 177. col. 3. item in Bechorot f. 31. b. Jebamot. f. 97. a. nec non Sanhedrin p.* 306. (extr. edit. Amſterod. 1629. in 4to) *edit. Coccej. legitur:*

כל תלמיד חכם שאומרים דבר הלכה מפיו בעולם הזה שפתותיו דוחשות בקבר *id eſt*: Cujuſcunque diſcipuli Sapientum (*jam defuncti*) ſcitum aliquod ſuperſtites ipſius nomine allegant, ejus labia ſe motitant in ſepulchro....... *Sed & viventes, ſi Autores ſedulò allegent, magnum ex ea re cupiunt commodum. Pirke Avot. c.* VI. האומר דבר בשם אומרו מביא גאולה לעולם *id eſt*: Qui dictum aliquod adducit, ejus laudando Autorem, Orbi infert liberationem. *Probant id Exempló Eſtheris, quia enim ipſa, quòd à Mardochai ei indicatum fuerat, non ſibi tribuere auſa eſt, ſed hujus Nutricii nomine ad Regem retulit, Eſth.* II. 22. *ideò eam, quæ deinde conſequuta eſt, Populi Judaici ab internecione liberationem, huic Eſtheris candori ingenuo ferunt acceptum. Commentarius noſter ad modò adductum locum τῶν Pirke graviter*: דאם נוטל עטרה לעצמו ומכסה עצמו בטלית שאינו שלא עונשו גדול הרי זה עושק וגוזל ומעכב את הגאולת: *id eſt*: Quiſquis alteri præripit Coronam (*ſapientiæ, quam is, labore ſuô promeruit*) exornátque ſe *palliô* alieno, hunc magnum malum manet, nam & prædo & raptor eſt, & liberationem Orbis impedit, *Hæc cùm ita Judæi perſuaſa teneant, ideò in Bava Mezia f.* 84 *b. etiam Fœminarum autoritates allegantur. Et adeò in Peſachim f.* 117. *a. legimus*: ר׳יוסי אומר אלעזר בני אומר: *i. e.* R. Joſe dixit: Eleaſaris filii mei ſen-

ſententia eſt. *Non igitur, ne Patri quidem, filium ſuum citare, indecens viſum fuit*, Rabbi *tamen eum non vocat, nam id nimium eſſet, ſi Pater ſe filii diſcipulum profiteretur.* In ſequentibus, Judæorum bonam fidem aliorum in dictis proferendis imitatos etiam Arabes, idem perſequitur Wagenſeilius, tandem hæc addens: *Verùm, quorſum iſta? Nimirum, ut oſtendamus, meliores ſe præſtare Judæos & Arabes erga eos, a quibus rectè ac prudenter quid dictum eſt, quàm apud Nos vulgo fieri conſuevit; ubi multi non tantùm verba quædam aliorum, ſed & obſervationes integras, & totos propemodùm libros ſibi tribuunt, ſuppreſſis ſummô ſtudiô Autorum nominibus, imò ſi fieri poſſet, e Natura rerum penitus ſublatis. Non dicam de aliis artibus, certè in Literatura, imprimis Hebraica, Plagiariorum nec finis eſt, nec modus, & oppidò pauci profitentur, quorum corticibus natent, quibus adjutoribus uſi fuerint, ſed ſe Talmud conſuluiſſe, ſibi Rabbinos lectos eſſe, ſuas ſe in medium afferre Verſiones, videri volunt. Enimverò vellem, ſcirent tales, quàm periculoſæ plenum opus aleæ tractent, quámque peſſimè exiſtimationi ſuæ ſæpe conſulant, jam credo, paulò cautiùs agerent, nec viros doctos defraudarent memoriâ, quæ illorum ſtudio, Lucubrationibus, & in Rempublicam Literariam meritis, ſummô jure debetur. Quamobrem monendum eſt, ex vernaculis, & Latinis Libris faciliùs aliquid ſubduci, aut quibuſdam ſimulationum diſſimulationumque involucris ita*

poſſe

poſſe obtegi, ut quis eadem eſſe non agnoſcat: caterùm, in Hebraicis aliter rem ſe habere, & qui ſcrinia non ſua compilant, rarò Exercitatioribus in his literis fidem facere, domi, & apud ſe, quæ docent, nata eſſe, ut potiùs ſuô ſe indiciô plerumque prodant. Nam, dum non ſatis tenent, quid alii citent, aut quomodo, proinde ipſi nunc ex libris Vulgarium Rabbinorum faciunt Talmudicos, nunc hos, in illorum convertunt. Jam propria nomina pro appellativis, appellativa pro propriis accipiunt. Conjungunt divellenda, ſeparant quæ cohærent, commutant priora cum poſterioribus, exſcribunt teſtimonia, cum vitiis Typographicis, laudant nobis R. Radak. R. Raſchi, R. Rambam, R. Smag, *& ſi qui ſunt ſpiſſi, ridiculique errores alii.* Ceterùm & aliis in Linguis Scriptorum nomina pro ſcriptis, horúmque illorum locô poni, puto nos alibi monuiſſe. In Andreæ Tiraquelli Conlectorum de Nobilitate meſſem falcem, bonam ſequentium partem, qui hujus argumenti quædam tractârunt, inmiſiſſe, deprehendit Caſpar Barthius in Animadverſionibus in Claudian. v. 32. Panegyric. in Nuptias Honorii & Mariæ p. m. 814. a. edit. Francof. M. DC L. in 4to. Diocletianus, quum Aurelianus, quum Probus, quum Tacitus, quum Carus imperium accepiſſet, Druidis dicto, eum Imperatorem fore, cùm aprum occiderit, diffidens & querulus: *Ego ſemper*, inquiebat, *apros occido, ſed alter ſemper utitur pul-*

pulpamento, ut Flavius Voſpicus Syracuſius in Numeriano, c. XV. Tom. II. Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor. p. m. 794. edit. Lugd. Batav. 1671. in 8t. auctor eſt. Hoc verò etiam frequenter in literis contingit, ut, quæ alius laborum & induſtriæ monumenta ſtatuerat, ignavus quiſpiam ſubducta in ſe transferat. Certè plagiorum nec modus, nec finis eſt, ſcribit Chriſtoph. Adam Rupertus in Obſervation. ad Salluſt. Bell. Jugurth. c. LXXXII. p. m. 459. editis Noribergæ M. DC LXXI. in 8t. Quanta Barthio, Moynio, & reliquis evenerint furta nemo neſcit. De ſeipſo Caſp. Hofmannus ad Richterum in hujus Epiſtolis, p. m. 272. edit. Norimberg. M. DC LXII. in 4to ſcribit: *Unica hæc cura me coquit: Quid poſt mortem meam futurum ſit de Galeno meo? Quod enim fortaſſe neſcis, tam invidetur mihi ejus rei fama, ut ſubmiſſus fuerit manicularius, qui ſectionem iſtam, quæ τὴν σημειωτικὴν continet, clanculum ſubtraxerit, ut hâc ratione opus fiat mancum & inutile. Hanc ob cauſſam, cùm evertendi* (f. *everrendi*) *mihi domum totam ſuperveniret Rupertus noſter, adeò credere noluerit* (f. *noluit*) *ut paulò minùs pro deliro me haberet. Hui verò! dicebam; Hem tibi claves, ô ſapiens, excute, ſi vis, omnes forulos, omnes arcas, etiam illas, in quibus libri non ſunt, & experire fortunam tuam! Fecit, ſed nihil profecit, adeò, ut jam non credat propriis oculis. DEUS verò meus tam bene voluit Galeno, ut ſubmiſerit.*

miſerit vetus exemplar, è quo reſarcivi damnum. Hoc ſi evenit me vivô, quid denique fiet me mortuô? Gemina queritur Franciſcus Nanſius, Iſembergenſis, Flander, in Curis Secundis ad Nonni Paraphraſin Euangelii Joannis Græcè & Latinè editam, p. m. 55. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃ XCIII. in 8t. *Mihi ſic eſſe video in fatis, ut ſemper injuriâ & damnô afficiar à malevolis hominibus. At præcipuè, & meritiſſimò quidem, conqueror de ſiniſtris quibuſdam manibus, quæ multos libros ac libellos tam Græcos quàm Latinos, rariſſimos & mihi longè rariſſimos, (f. cariſſimos) (quos abhinc quadraginta annos curioſè & diligenter mihi comparaveram,) & multa manuſcripta mea atque aliorum quædam meæ fidei commiſſa, & multas aliorum ad me epiſtolas, & Notas etiam plurimas, atque alia quædam quæ nunc indicare nolo, ſurripuerunt migranti Leidâ Dordracum. Quorum omnium jacturam vehementer deplorare nunquam deſino.* Quid mihi non ita pridem contigerit, alibi fortè narrabo. Joan. Clericus in præfatione, ubi Davidis Clerici, Patrui, & Stephani Clerici Patris Vitæ deſcribuntur, Quæſtionibus Davidis Clerici ſacris Amſtelæd. CIↃ IↃC LXXXV. editis in 8t. præfixa, p. m. (ut ego numeravi) 35. ſequentia perhibet: *Contigit aliquid* Alexandro *Moro diſcedenti, quòd quia nemini jam nocere poteſt hìc narrabo. David Clericus habebat in Bibliotheca ſua Opera Epiphanii ex Edit. Pariſienſi, cum notis Petavii,* duo-

duobus voluminibus in Folio, uti vocant. Morus qui Epiphanium, ſed non magnô pretiô emtum, cupiebat, ut opinor, habere, mutuum ſumſit à D. Clerico id volumen quo notæ Petavii continentur, alterum verò in quo eſt textus ipſe Epiphanii ex Bibliotheca publica, & utrumque neſcio quò abſtulit. Ita integrum habuit Epiphanium, quem in duabus Bibliothecis alterâ parte ſui mutilum reliquit. Hoc non videtur candori ejus, cujus ſpecimen narravi, convenire, at verum tamen eſt; & inde conſtat magna ingenia, niſi ſint conſtantiâ temperata, ut ſui admirationem ſæpe excitant, ita aliquando turpiter ſeſe aliorum contemtui aut odio objicere. Hoc tamen ita leviter tulit Clericus, ut contentus hâc tantùm ultione fuerit. Dum Bibliotheca ſuæ ſuâ manu Catalogum deſcriberet, uno volumine Epiphanii notatô, adjecit, alterum deeſſe μωρίας ἕνεκα, alludens ad nomen Mori. Quàm ſordidè R. M. b. D. J. G. D. Bibliothecam majoris famæ quàm rei compilârit ab uno pluribus accepi. Voluit multô majoris Jo. L. in A. ſecum venire, ut cum Phædro dicam, quàm exiſtimationem, ad quam ipſi nihil turpius.

II. Quod Auctor Recueil de Traitez de Paix, de Trêve &c. Tom. I. p. 195. b. p. 864. b. habet, deſumpſit è Georg. Gvil. Leibnitzii præfatione in Codicem Diplomaticum, ut adnotavit Cl. Eccardus im Monath-Auszug, Februar. M. DCC. p. m. 80. 81. extr.

III. De ACUSILAO Clemens Alexandrinus,

nus, VI. Stromatum, p. m. 629. A. edit. Lutet. M.DCXXIX. in fol. Τὰ Ἡσιόδου, inquit, μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε, καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι. *Heſiodi Carmina cùm in ſolutam tranſmutâſſent orationem, ediderunt tamquàm ſua Eumelus & ACUSILAUS Hiſtoriographi.* Agit de eo Ger. Jo. Voſſius, lib. & c. I. de Hiſtoric. Græcis p. m. 4. 5. c. II. extr. p. 13. lib. IV. c. II. p. 436. edit. opt. CIↃ IↃC LI. in 4to. E quo poſtremo loco, ubi hæc verba leguntur: *Etiam a Clemente in primo* Στρωματέων (p. m. 299. D.) *laudatus.* Ἀκουσίλαος ὁ Ἀργεῖος τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, i. e. ut in margine exponitur: *Accuſilaus Argivus in ſeptem ſapientibus*; an rectè Joannes Jonſius Holſatus citanda conficiat lib. I. de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ c. III. p. m. 21. edit. Francof. M.DC LIX. in 4to ſcribens: *Voſſius de ſeptem ſapientibus* Acuſilaum Argivum *egiſſe aliis vult perſuadere lib.* IV. *de Hiſt. Gr. c.* 2. *Verùm impoſuit ei locus Clementis, qui lib.* I. *Strom. de Acuſilao:* οἱ μὲν Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύριον: Alii verò Acuſilaum Argivum ſeptem ſapientibus annumerant, alii Pherecydem Syrium *E quibus verbis Acuſilaum de Sapientibus ſcripſiſſe fruſtra quis collegerit:* admodùm dubito, cùm Voſſius id non dicat, omittens tantùm vel incuriâ ſuâ, vel typographi vitiô voculam ἐν, *in*, quam tamen in margine habet.

bet. Sed hæc huc non pertinent. Acuſilai Ciceronem II. de Oratore meminiſſe, ſcribunt Voſſius, d. l. & Henr. Valeſius, p. m. 139. notarum in Harpocrationis Lexicon, edit. hic Lugduni CIↃ IↃC LXXXII. in 4to at in Lugdunenſi Batav. Ciceronis operum editione in 4to ann. M. DC XCII. lib. II. de Orat. c. XII. eſt *Acuſilai*, ſed auctore Jacobô Lodoicô Strebæô in p. m. 119. Commentar. in h. l. edit. Pariſ. CIↃ IↃ LXI. in 4to, *corruptè*.

IV. *Nobilis* ÆGINETA, ſcribit Joh. Cunr. Dieterichius in Iatreo Hippocratico, p. m. 17. edito Ulmæ M. DC LXI. in 4to, *ex profeſſo ſe devovit Galeno, omniáque ſua breviter deſcripſit filô Galeni, cujus quaſi in praxi compendiator eſt, nullam non partem Medicinæ perſtringens libris ſeptem, qui prodiêre Venetiis & Baſileæ. Exſcribere ſolet Dioſcoridem; ſed & excerpere Oribaſium. Multa interea habet ab aliis non tacta, ſed de ſua praxi data, id quod teſtatur ipſe in Operis Proœmio, tum aliis in locis, quoties addit iſtud, καλῶς ποιεῖ: aut hoc ὧ χρῶμαι, aut τὸ δόκιμον aliáque.*

V. Gisb. Voetius, lib. V. c. XIV. Bibliothecæ Studioſi Theologiæ, p. m. 116. & 117. arbitratur, Tabellas V. & N. Teſtam. apud Joh. Henr. ALSTEDIUM in Præcognit. Theolog. lib. II. c. XV. XVI. ſ. p. m. 216. ſ. & Himmelium in Memoriali Biblico, e Moſis Pflacheri Analyſi Typica deſumptas eſſe, quod mi-

mihi conferenti ſcripta iſta non videtur. B. Pflacheri Analyſis inſignem ob utilitatem quintùm exiit Baſileæ M. DC XXI. in 4to, quâ præſtat Alſtedii & Himmelii tabulas, ſicuti & ſpeciali unius cujuſque capitis diſpoſitione, quam neuter attigit. Alſtedii Præcognita edita ſunt Hanoviæ M. DC XXIII. in 4to, quô annô & Jenæ b. D. Joh. Himmelii Memoriale Biblicum Generale prodiit in 4to non admodùm jam obvium. In Paratitlis Theologicis Francof. M DC XXVI. in 4to editis Alſtedius totam Sectionem de Liturgia, p. m. 248. 249. 250. exſcripſit, ut alia multa, ex Iſ. Caſaubono; Exercit. XVI. Sect. XLI. p. m. 533. ſ. Alſtedii ſcripta in auctionibus Belgicis noſtris non tam venduntur quàm projiciuntur.

VI. Joannes Andreæ, auctore Valentinô Förſterô, III. de Hiſtoria Juris Civilis Romani, c. XXVI. §. 10. p. m. 497. edit. Aurel. Allobr. M. DC IX. in 8t. *non juris tantùm peritiâ excelluit; verùm & in aliorum bonorum authorum lectione apprimè verſatus fuit. In hoc ſolummodò a multis notatus & reprehenſus eſt, quòd ex Conſiliis Oldradi Laudenſis, authore diſſimulatô, multa ſibi adſcripſerit, unde Baldus inſignem furem alienorum librorum eum appellare ſolitus eſt.* Et p. 499. idem Förſterus, §. 15. *Oldradus de Ponte*, inquit, *patria Laudenſis, floruit annô* M CCC XX. *Fuit primùm Advocatus Conſiſtorialis Romæ, deinde Auditor factus eſt. Fuit in magna exi-*

exiſtimatione apud Joannem XII. (f. XXII.) *Pontificem. Conſilia ejus plena eruditionis extant: alia ejus opera interciderunt. ab hoc multa mutuatus eſſe & tranſſcripſiſſe* Joann. Andreæ *incuſatur; quô vitiô ſolo ſe notandum præbuit.* Dixi hoc de JCto in parte XV. mearum Animadverſionum, §. XIV. p. 143.

VII. Joſephus ANGLES in Floribus Theologicarum Quæſtionum pleraſque ex Alexandro Ales determinat, ſi eidem Voetio credimus, de Exercitiis Pietatis, c. XIX. §. 10. p. m. 518. edit. Gorinchem. CIↃ IↃC LXXIX. in 8t.

VIII. De ANGLICA REGIA SOCIETATE Daniel Georg. Morhof, c. X. de Philoſophia Naturali, Collegii cujuſdam mſcri, quod penes me eſt, hæc tradit: *Librum Anglicâ Linguâ ſcripſit Joſephus Glanwil ſub titulo:* Scepſis ſcientifica, *quô omnem doctrinam dogmaticam impugnat, eámque vanam eſſe, & ignorantiæ matrem oſtendit. Idem eſt conſilium* Societatis Regiæ Anglicæ, *nulla principia phyſica agnoſcentis, niſi quæ experientia illis comprobavit, quod vel Symbolô ſuô* (Nullius in verba) *oſtendunt. Edidit idem Glanwil alium librum, cujus titulus:* Plus ultra, *in quo oſtendere laborat, progreſſus illos, quos Philoſ. Naturalis poſt tempora Ariſtotelis fecerit, ac præterea magnificis laudibus extollit Collegii regii inventa. Cui tamen alius quiſpiam Medicus Henricus Stubbe in libro:* Plus ultra reducet te à non plus, *contradixit, oſtenditque, plurima*

ma illorum inventa jam fuiſſe veteribus nota, pluſque in Philoſophia Naturali & Experimentali à Peripateticæ Sectæ cultoribus præſtitum fuiſſe, quàm ab iſtis Novaturientibus. Liber non eſt inerudité ſcriptus. Sed reſponſum illi eſt tam ab eodem Glanwillio, quàm ab aliis. Intercesſerunt etiam his conatibus nonnulli Theologi Anglici, qui magnâ invidiâ atheiſmi eos onerârunt. Nec diſſimulat hoc Epiſtola illa Merici Caſauboni, Iſaaci filii, Anglicô ſermone ad Petrum Molinæum ſcripta, in qua indignè etiam fert veterum Auctorum exſtirpationem, variáque illa experimenta, Lampadum perpetuarum, Lapidis Philoſophici, &c. illis objicit, quibus ſimilia præſtare nova iſta Philoſophia non poſſit. Cæterùm Hiſtoria Societatis illius regia integrô librô Anglicè a quodam Thoma Sprat Londini, M.DC LXVII. *in 4to. edita, poſteà verò in Linguam Gallicam converſa in 8t. prodiit. Scripſit idem Glanwil librum ſingularem*, Philoſophiam piam, *quô oſtendere laborat, Religioni non adverſari novam iſtam experimentalem Philoſophiam, Londini* CIↃ IↃC LXXI. *in 8t. Anglicè.* Hæc, ſalvô Societatis illius honore, hîc referre volui ex occaſione, ne periret Fragmentum illud & Notitia ſuperiorum, & quia non nova dico, ſed tradita tantùm repeto, fidem Auctores vindicent: noſtrum ſit inclitis litterarum monumentis conſecrata, perinde ac vana non refugiſſe.

IX. APOLLONIUM RHODIUM e Cleonis

Cu-

Curienſis Ἀργοναυτικοῖς (laudatis veteri Scholiaſtæ ad lib. v. Apollon. Ἀργον. v. 587. p. m. 59. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XLI. in 8r. ὁ δὲ Δόλοψ, Ἑρμοῦ υἱὸς, ὃς ἐν Μαγνήσῃ τῇ πόλει ἀπώλετο, καὶ αὐτόθι τάφον περὶ τῷ αἰγιαλῷ ἔχει: ὡς Κλέων ἐν πρώτῳ τῶν ἀργοναυτικῶν. i. e. *Dolops verò Mercurii filius, qui in Urbe Magneſa obiit, & ſepulchrum illic habuit juxta littus: ut auctor eſt Cleon, in primo Argonauticorum.*) omnia ſuum in opus traxiſſe, idem tradit Scholiaſtes in Apollonii 1. Ἀργοναυτ. v. 623. p. m. 63. his verbis: Καὶ Κλέων ὁ Κουριεὺς ἱστορεῖ, καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς, δεικνὺς, ὅτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετενήνοχεν Ἀπολλώνιος: i. e. *Et Cleon Curienſis tradit, & Aſclepiades Myrleanus, oſtendens omnia ex Cleone Apollonium tranſtuliſſe.* Mihi ſanè Scholiaſtes magis quàm Auctor, Scholiáque plus quàm opus placuerunt & profuerunt.

X. Joannes ARBOREUS Laudunenſis, Theologus Pariſinus, *pietate & facilitate doctrinæ inſtructus: oratione magis quàm rebus, cultus & copioſus, quippe ſi illi demas, quæ ex Hieronymo mutuatur, nihil ferè homini reliquum facies*, ſcribit Joannes de Pineda Hiſpalenſis Jeſuita in præfatione ad Commentarios in Eccleſiaſten c. XIII. §. IV. n. 14. p. m. 36. b. edit. Antverp. M. DC XX. in fol. Arborei Commentaria in Cantic. & Eccleſiaſten principiò Pariſiis apud Colinæum, CIↃ IↃ XXXVII. poſteà

in Proverbia, Eccleſiaſten & Cantic. ſimul à Joan. Roigni CIƆ IƆ XLIX. curata ſunt & edita in fol. illam enim editionem habeo, at anni CIƆ IƆ LIII. non. Meo in exemplo, quod olim D. Joan. Altrog. Can. D. P. R. fuit, inductum eſt *Joannis Arborei Laudunenſis, Doctoris Theologi*, nomen & titulus, quô forſan is, qui delevit, ad ſuperiora reſpexit.

XI. Averroes, ſive Roiſius, in Comment. in Ariſtotelis Topica multa ex Themiſtio, qui & ipſe cum Alexandro Aphrodiſ. iſta in Topica ſcripſit, hauſit, auctore Ger. Joan. Voſſiô in De Logices Natura ac Conſtitutione, c. XII. §. 14. p. m. 81. Ipſe autem Themiſtius, licèt ab eruditiſſimo Hermolao Barbaro converſus ſit, libertate tamen interpretandi, & ſtudiô Linguæ elegantioris ita multis locis corruptus eſt, ut, ſi cum Græco eum conferas, longè alius videatur. Satius eſſet, ut ejus tranſlatio vetus (quam audio Compluti apud Carpetanos alicubi abditam adſervari) aliquando ederetur, ſcribit Petrus Joann. Nunneſius Valentinus in Conſilio de rectè conficiendo curriculo Peripateticæ Philoſophiæ; c. II. extr. p. 50. edito hìc Lugduni CIƆ IƆC XXI. in 8t. qui & c. v. §. 12. p. 103. idem quod Voſſius, de Roiſio obſervat, e quo fortè Voſſius ſumſit.

XII. Daniel Lipſtorpius, Lübecenſis, de legione Κεραυνοβόλῳ agens in c. IV. Tractatus

de

de Monarchiæ Eccleſiaſticæ incrementis ac decrementis, §. 22. p. m. 31. editi Jenæ M. DC LVIII. in 4to: BARONIUS, inquit, *Tom. II. Annal. Eccleſ. ad A. C.* CLXXVI. *n. 9. ſ. ad uſque A. C.* CLXXVII. *copioſiſſimè ſuô more, ſed oppreſſo Scaligeri nomine, cui bonam partem debet, de hoc miraculo agit.* Hermanni Witſii Diatriben de Legione Fulminatrice Chriſtianorum, Ægyptiacis ejus ſubjunctam, p. m. 423. ſ. edit. Amſtelod. CIϽIϽC LXXXIII. in 4to confutavit Daniel Larroquanus in peculiari Diatriba, Parentis Matthæi Larroquani Adverſariis ſacris addita, p. m. 553. ſ. editis Lugduni Batav. M DC LXXXVIII. in 8t.

XIII. In BARTOLO *deſiderata fuit ab aliquibus*, ſcribit Valentinus Förſterus, lib. III. Hiſtoriæ Juris Civil. Rom. c. XXVII. §. 8. p. 504. *firmitas memoriæ; alii occultatorem eum fuiſſe alienæ laudis objecerunt: propterea quòd Franciſci Tigrini operâ ſæpe uti ſolebat, ejúſque ſibi induſtriam accommodaret; nonnulli veterum nomina eum tacuiſſe, & eorum inventa ſibi attribuiſſe & vendicâſſe exprobrant. Verêne ab his, & meritô Bartoli, an verò calumniandi cauſſâ id dicatur, dubium eſt. Facilè tamen excuſari poteſt, cùm impoſſibile ferè ſit, ut is, qui multa ſcribit, in tanta ſcribentium multitudine, ab aliquibus non aliquando aliquid mutuetur, & anteà inventis addat, adimátve.* Et p. 505 §. 14. *Franciſcus Tigrini Piſanus eodem tempore cum Bartolo in patria jus do-*

cuit; rerum & verborum copiâ inſtructus fuit tantâ, quantâ ejus ætatis nullus. Bartolus multa, quæ hujus fuerunt, ſcriptis ſuis inſeruit.

XIV. Martinum BECANUM Jeſuitam Moguntinum in Opuſculis, n. XIV. c. XXI. 2. p. m. 281. b. edit. Pariſ. M DC XLII. in fol. *omnia ferme de verbo ad verbum ex Bellarmino, Tom.* I. *Controv.* VII. *General. De Sanctor. beatit. c.* XII. p. m. 75. exſcripſiſſe teſtatur Theologus tot Adverſariis ad ſilentium redactis clariſſimus, b. Joh. Bottſaccus, (quô an prudentiorem Dantiſcani unquàm Doctorem habuerint, neſcio) in Diſputatione Theologica, de religioſa Carnis Chriſti cum λόγῳ adoratione, §. 18. Gedani habita & edita M DC XL. in 4to.

XV. Verens erroris in ſuperioris Diſſertationis p. 37. n. x. de Bellarmino, inveni tandem me non falsò conjeciſſe; nam res verbis b. D. Joh. Chriſtoph. Seldii, qui Doctor & hoſpes noſter Coburgi fuit, in Scrutinio Fundamentalium fidei articulorum, Controv. III. Generali, §. 37. p. m. 127. edito Coburgi M DC LXXI. in 4to. relata ſic habet: *Operoſus eſt* BELLARMINUS *in confirmanda Divinitate Filii* DEI *e S. Scriptura, e qua quinque claſſes argumentorum depromit, lib.* 1. *de Chriſto c.* IV. *De quibus argumentis & fundamentis tenendum, quod quicquid ſolidi & boni ſubinde a* Bellarmino *affertur, id omne e Noſtratium ſcriptis mutuatus ſit, quamvis id alto involvat ſilentio, ne quid a Noſtris*

ſtris didiciſſe videri queat, ſicut dudum obſervavit Cl. Theologus D. Petrus Piſcator, Profeſſor Jenenſis in Diſput. pro gradu, Jenæ annô 1605. habita.

XVI. Julium Cæſarem BULENGERUM Juliodunenſem indicâſſe puto Barthium, cùm in Animadverſionib. in IV. Conſulat. Honorii v. 514. Claudiani p. m. 693. b. ſcripſit: *Scholiaſtæ optimo doctiſſimóque Symmachi notatorum partem ſuam faciendam putavit, qui de Imperatore congeſſit.*

XVII. Domitium CALDERINUM idem ſuſpicatur Barthius, Tom. I. Animadverſion. ad Statii lib. I. Silv. III. v. 88. p. m. 109. extr. edit. Cygneæ MDCLXIV. in 4to, *multa ſuorum Commentariorum debere antiquioribus ſcholiis, quæ exſtitiſſe in manuſcriptis codicibus veriſimile eſt, cùm ille ſcriberet, mox increbreſcente typographiâ, ſimul* (f. *cum*) *libris iiſdem abolita. In Juvenale ſanè cum mſſ. ejuſque ſcholiis conferendo, ſimilia obſervavi;* ſcribit ibidem Barthius: & p. 121. in Silv. IV. v. 58. *Suſpicio eſt, ope veteris alicujus Scholiaſtæ hic uſum Domitium, qualem ſupra etiam dedimus.* Item p. 348. in III. Silv. v. v. 104. p. 348. *Bene Plinio conſuluit & Papinium explicavit optimus Domitius, nec ex ſuo cerebro, ſed ex Veteribus Libris.* Tom. II. Animadv. ad Statii II. Thebaid. v. 654. p. m. 591. *Sunt apud nos Ovidii Metamorphoſeon libri pari modô Statianæ huic Thebaidi, Gloſſis & Scholiis undiquaque enarrati. Quæ Exegemata alibi fortè, vel de-*

ditâ etiam operâ, publicabimus. Multa proavorum memoriâ pulchre in eo Opere accepit & expoſuit Raphaël Regius, an ſemper ſine talium Commentariorum ſubſidio, non auſim dicere. Idem dicam de Domitii Calderini notis *in Silvas Statii, Juvenalem & Martialem. Tam enim belle ſæpe Poëtarum, eô temporè planè cæcorum, per penuriam ſcriptorum, mentem penè incredibili acumine iſti homines introſpiciunt, ut pro miraculis habenda multa ſint ſine aliquo auxilio vetuſtiore.*

XVIII. *Donati Commentarios, qui ad* Terentii Fabulam Heautontimorum. *deficiunt, ſupplere aggreſſus eſt* Jo. CALPHURNIUS Brixienſis, *qui, quod boni habet, undecunque ex ipſo Donato ferè deſcribit, & conatu imitandi, tum in κρίσει, tum in philologia, perſæpe fruſtratur*; ſcribit b. Joh. Henr. Boeclerus in Adnotationibus in Terent. p. m. 158. edit. Argentorat. MDCLVII. in 8t.

XIX. Quæ Gulielm. CANTERUS Ultrajectinus VI. Novar. Lection. c. XXV. p. m. 320. edit. Baſil. CIƆ IƆ LXVI. in 8t. de χύτρα pro oſculi genere, Polluci memorata, adnotavit, a Scaligero, etſi diſſimulet, edoctus eſt, auctore Ger. Jo. Voſſiô, part. II. Commentarior. Rhetoric. lib. IV. c. VI. Sect. V. n. X. p. 97. edit. Lugdun. Batav. CIƆ IƆC XLIII. in 4to.

XX. *Annô* MDCXLIV. *Latinè prodiit* (repeto verba Giſb. Voetii e lib. II. Bibliothecæ Studioſi Theologiæ, c. XIV. p. m. 379. ſ. edit.

opt.

opt. Ultraj. CIↃ IↃC LI. in 12.) Renati des-Cartes *Opus Philoſophicum. Quod ad principia & placita Phyſica Carteſii (Meteorologica nonnulla, Matheſi ſubnixa, excipio) quæ tanquàm ab ipſo inventa & excogitata ſubinde a nonnullis Philoſophiæ ignaris venditantur, ea eſſe antiquorum Philoſophorum placita, aut iis affinia, ex lectione Laërtii, Plutarchi, Ariſtotelis & Ariſtotelicorum conſtare poterit, ita ut in quamplurimis objectiones ibidem refutata, ſi ſeorſim ſine adiectis refutationibus excerpta libellô aliquô exhiberentur, novæ hujus Phyſicæ ταμεῖον videri poſſint. Celebris Philoſophus Gaſſendus in magno illo volumine de Philoſophia Epicuri ſuperiori annô* (m.Lugduni CIↃ IↃC LXXV.in fol.)*edito plumas phyſicas ab hoc neoterico Philoſopho (quamvis ſuppreſſô nomine) repetitas, Epicuro reſtituere videtur*. Carteſii Tractatus poſtumus De Homine multa vulgaribus ab Anatomicorum principiis differentia continens primùm Gallicè prodiit, hinc in Latinum converſus à Florentio Schuyl Lugduni Batav. CIↃ IↃC LXIV. in 4to. cujus præfatio Carteſianis de rebus non pauca prodit. Quoniam verò morte occupatus rem finire nequivit, Ludovicus Forgius Medicus Pariſinus partem alteram addidit Gallicè ſcriptam: De l'Eſprit de l'homme, ſive de anima hominis, in qua eadem ponens fundamenta atque principia de anima doctrinam exponit, longéque præfatur, Carteſii minimè novam eſſe doctrinam,

nec quidquam illum docuiſſe, quod jam anteceptum non fuerit a pluribus antiquis Philoſophis, & inter alios quoque a ſ. Auguſtino. Librum ſummatim exponunt Ephemerides Gallicæ Latinè editæ a Nitzſchio, n. I. p. m. 8. n. XVIII. p. 318. ſ. editæ Lipſiæ MDC LXXI. in 8t. Philoſophiam veterem oſtendit in nova Abrahamus Gravius Mathematum in Academia Franckerana Profeſſor, cujus Specimina Philoſophiæ veteris ibi prodierunt annô MDCLXXIII. in 8t.

XXI. Joſephus CASTALIO JCtus, auctore optimi judicii virô Janô Broukhuſiô in notis ad Propertii IV. IV. 76. p. m. 357. b. *ne tralatitiô quidem nominandi honore dignatus eſt Paſſeratium, auctore Schoppiô* (l. *Scioppiô*) (*hunc enim auctorem vocat*) *contentus*.

XXII. Georgii CEDRENI Σύνοψιν Ἱςοριῶν, i. e. *Conſpectum Hiſtoriarum*, Scaliger *ſtabulum quiſquiliarum* appellat. Voſſius *Centonem*. Georg. Syncellus, ejuſque continuator Theophanes, verbotim a Cedreno eſt exſcriptus, ait Jo. Henr. Hottingerus, lib. III. Bibliothecæ Theologicæ c. V. §. VII. p. 426. edit. Tigur. MDCLXIV. in 4to. Voſſii verba adſcripſimus Tomo III. Methodorum de Eruditione comparanda, n. IX. c. XIII. §. 132. p. m. 389. edito Lugduni Batav. 1699. in 4to. Jam obſervamus, Voſſium, II. de Hiſtoric. Græcis c. XXVI. p. m. 295. edit. Lugdun. Bat. CIↃIↃC

LI.

Google

LI. in 4to ſcribere: *ut Africanum Euſebius, Euſebium Georgius Syncellus, ita Syncellum, itémque Theophanem, qui Syncellum continuavit, ad verbum exſcripſit Cedrenus.* Quæ Voſſii verba tali pactô laudat & ingeniô & doctrinâ memorabilis vir. Jo. Chriſtoph. Rumetſchius, Rector Gymnaſii Spirenſis in Schediaſmate Hiſtorico-Eccleſiaſtico de Univerſali Theologorum Euangelicor. Hiſtoria, p. m. 22. edito Spiræ M DC LXXIX. in 4to. *Obſervat Voſſius de Hiſtoric. Græcis, quòd, ſicut Africanum Euſebius, Euſebium Gregorius* (l. *Georgius*) *Monachus, Taraſii Patriarchæ* (Conſtant.) *Syncellus* (i. e. intimioris ſacrarii Patriarchici Cancellarius, ſecretorum conſcius, negotiorum ſocius, arbiter conſcientiæ, & proximâ poſt eum dignitate, ſpéque ſucceſſionis conſpicuus, ut e Jo. Meurſio, Carolo Annib. Fabroto & Jac. Goare nomen Syncelli interpretatur doctiſſ. Joh. Reiskius, Scholæ Gvelf. Rector olim, Exercitat. I. de Imaginib. Jeſu Chriſti, c. IV. §. V. p. m. 46. edit. Jen. M DC LXXXV. in 4to.) *in ſua Excerpta Chronographica Pariſiis in fol. annò 1652. denuò typis Regiis edita, ferè totum deſcripſit: ita Cedrenus Syncellum, itemque Gregorium* (l. *Georgium*) *Theophanem, qui æqualis fuit Syncelli, cúmque ad obitum Nicephori Logothetæ & initium Michaelis Curopalatæ continuavit, ad verbum exſcripſerit. Contra monet Geſnerus in Biblioth. p. m. 426. 427. quòd Joannes Curopalates, æqualis Cedreni & Mi-*

chaelis Pſelli, in Compendio ſuo Hiſtorico, quod incipit ab obitu Nicephori ann. DCCCXI. *uſque ad Nicephorum Botoniatam, qui imperare cœpit. ann.* M. LXXVIII. omnia ferè ad verbum e Cedreno deſcripſerit, exceptis paucis foliis in fine libri. Hæc Rumetſchius. Quæ tamen ultima verba non ſunt Geſneri: (nam ille præter hæc: JOANNIS *Curopalati, qui fuit μέγας δρουγγάριος τῆς βίγλης καὶ σκυλίτζη, Synopſis Hiſtoriarum, incipiens a morte Nicephoræ regis καὶ ἀπὸ γλυκῶν uſque ad regnum Iſaaci Comneni. Liber eſt Græcus, & ſervatur in Bibliothecis Italiæ*; præter hæc, inquam, reperienda in editione Tigurina M. DXLV. fol. m. 409. a. nihil habet amplius) ſed Joſiæ Simleri, cujus in editione Bibliothecæ Geſneri Tigurina M. D LXXIV. fol. m. 358. extr. ſunt iſta: *Joannis Curopalati Compendium Hiſtoriarum incipiens a morte Nicephori regis uſque ad regnum Iſaaci Comneni: liber eſt Græcus, & ſervatur in Bibliothecis Italiæ, & Venetiis nuper impreſſus, 1570. in fol. Sunt autem omnia ferè ad verbum ex G. Cedreno deſcripta, exceptis paucis foliis in fine libri.* Quæ ultima Simleri ſunt, cùm Geſnerus Curopalatam, 1570. editum, ante mortuus videre non potuerit; nec ut editum citârit. Sanè Curopalates ipſam fermè Cedreni Hiſtoriam in Opus ſuum tranſtulit, & inde promeruit, ut a Fabroto JCto doctiſſimo, illius ſimia vocaretur, apud Reiskium, dict. loc. p. m. 50. Quamobrem idem Voſ-

Voſſius cit. loc. p. m. 298. de Cedreno & Curopalate loquutus, non ſatis bene ſubjecit, *alterum alterum tranſſcripſiſſe.* Tu vide b. Thomaſium de Plagio, p. m. 167. ſ. §. 380. ſ. B. Jo. Andreæ Boſio, Epiſt. xxxv. earum, quas e ſcriniis Caſp. Sagittarii publicæ luci, nobis autem muneri dedit ampliſſimus & amicorum eximius D. Jo. Andr. Schmidius, p. m. 165. edit. Jenæ M DCC in 12. ſcribenti ad Thomam Reineſium: *Faxo, ut Cedrenum accipiam Pariſiis cum Curopalate Scylitza nuper editum, quo inprimis mihi opus*: reſpondet Reineſius, Epiſt. xxxvi. p. 168. *Cedrenus* & *Scylitza, quem & Thraceſium adpellant, tales ſunt, fide Caſauboni, ut qui unum legit, etiam alterum legerit.*

XXIII. *Pauca ſunt in brevi illo carmine* (1. libri IV. Silvarum Statii, quod inſcribitur: XVII. Conſulat. Imp. Aug. Germanici) *quæ ſuis Panegyricis non repetierit* CLAUDIANUS, ſcribit Barthius in Animadverſ. in Claudiani IV. Conſulat. Honorii Panegyric. v. 2. p. m. 534. b. Et p. 544. b. *Adſcripſi*, inquit, *totam longam periodum* e Pacati XII. Panegyrico, c. v. *quia omnia eadem de eodem viro habet, ut inde Claudianum ſumſiſſe ſua veriſimile ſit, licet vera vel e fama haurire potuerit.* Item in Claudian. præfat. in I. in Rufin. v. 7. *Eſt traductum ex Papinio cujus auctoritatem ſponte libens ſequitur Claudianus Thebaide* I. *& ubique hic.* Productis

é Statii i. Thebaid. verſib. 562. 563. 564. - 570. ſubjicit : *Pleraque omnia ex his ſatis turgentibus alioqui verſibus Claudianus tranſſumſit, ut de Ovidio non pauca Papinius.* Et in v. 6. lib. i. Claud. in Rufin. p. 1084. b. *Minucii Felicis Octavium ad verbum in hoc divino exordio benè expreſſit Poëta noſter. & p. 1091. b. Verbotenus paria Minut. Felix in Octavio, cujus ſequitur libens auctoritatem Claudianus.*

XXIV. Gilbertus Cognatus *hic offert* (f. *affert*) *deſcriptionem Elyſiorum Camporum, quam totam invenies apud Muretum*, teſte Nicolaô Cauſſinô, Trecenſi, Jeſuitâ, de Eloquentia, lib. xi. p. m. 735. a. edit. Lugdun. m dc xliii. in 4to. Voculâ *hic* reſpicit ad Lucianum, ii. Verarum Hiſtor. p. m. 486. ſ. edit. Baſil. m dc ii. in 8t. Tom. ii. Oper. quam editionem eò adlego, quia ei Cognati & Sambuci ſunt adnotationes additæ, inde & p. 522. habes iſta Cognati de Campis. At Mureti locus eſt v. Var. Lect. c. i. ſed tu vide §. xlvi.

XXV. Ludovicus Crocius Socinifmum ſuum contractum maximam partem e b. D. Joſuæ Stegmanni noſtri Photinianiſmo verbotenus extraxit, adnotante b. D. Abr. Caloviô in De Perſona Chriſti, Sect. i. præliminari, Q. i. n. viii. p. m. 5. edit. Witteb. cIↃ Iↄc lxvii. in 4to.

XXVI. Gvilielmus Durati Provincialis Ordinis Prædicatorum, ſcripſit Juris Specu-

lum.

lum annô M CC LXI. unde *Speculator* dictus. Fuit vir exercitationis forenſis peritiſſimus, & ideò PATER *practica* vocatus. Hôc ſolo notatur, quòd multa veterum ſibi adſcripſerit, teſte Valentinô Förſterô, III. Hiſtoriæ Juris Civilis c. XVIII. §. 7. n. 485.

XXVII. Ex Irenæi adverſus hæreſes Opere multa deſcripta ſuæ paſſim Hiſtoriæ inſeruit EUSEBIUS, lib. II. c. XIII. lib. III. c. XVIII. lib. IV. c. VII. VIII. X. XI. XVIII. lib. V. c. IV. V. VI. VII. VIII. & totum ferè primum Irenæi librum EPIPHANIUS de verbo ad verbum tranſſcripſit, perhibente Davide Chytræô in Onomaſtico f. m. 234. b. edito Wittebergæ CIↃ IↃ XCVIII. in 8t.

XXVIII. *Phædri verba*, do verba Ger. Joan. Voſſii, II. Inſtit. Orator. c. XV. Sect. V. p. m. 318. part. II. *Camerarius utitur paſſim in fabulis ſuis*: (editis opt. Lipſiæ MDLXXXIX. in 8t.) *Imò &* Gabr. FAERNUS (quem a probitate & eruditione commendat in præfatione in Terentium a Faërno emendatum & a Commelino CIↃ IↃ LXXXVIII. in 8t. editum non obvium temere, Petrus Victorius) *inde verſus multos exſcripſit*: *Perottus etiam quædam adducit pro ſuis. Sed Camerarius videtur codicem habuiſſe lacerum, nec nomen Phædri præferentem. Volaterranus autem fucum voluit facere lectori: quod pura Phædri dictio oſtendit; etſi & aliqua ei aliena eſſe aſſuta non inficier.*

XXIX. De FOLIO Joſephus de Aromaticis, ad Caſparum Hofmannum in Spicilegio Illuſtrium Epiſtolar. cum Georgii Richteri Selectiorib. Epiſtolis Norimbergæ editis anno MDCLXII. in 4to conjuncto, p. m. 799. ita ſcribit Venetiis: *Ex Hippocrate docueram eos, qui Medicinæ gratiâ ſunt me ſecuti,* fieri obſtructiones quaſdam in vaſis cordis, (*qua de re Deô dante fortè quadam publici juris faciam*) *& ex* Botallo *in aliquibus ſervari adultâ jam ætate, quod ovale foramen dicitur; & hac oculis ſubjeci, ut viderent; in quibus autem, & qua de cauſa hac eveniant, videndum potiùs duxi.* Ordanus *quidam, cui de ovali foramine renunciaverat diſcipulus quidam meus, eô jam defunctô, hujus rei ſe inventorem facit.* FOLIUS, *qui menſes aliquot mecum fuerat, ac a mea conſuetudine diſceſſerat, id a ſe inventum dicit; imo & librum, adjuvante amici cujuſdam calamô, hac de re conſcribit. Rem audio,* Botallum *inventorem dico: Is nonnullis de* Botallo, *malè* quid (hanc vocem mendoſam eſſe puto) *additis, ambitioſo indulget ingenio, ſuadenti, hinc ad gloriolam iter adapertum ſibi, & publici juris facit, iis quoque additis, quæ ad vaſorum cordis obſtructionem viderat: ſed malè, & præter rem detortis. Tunc, me curante, ſententia Botalli auditur. En* Veſlingius *adeſt. Jámque de ovali foramine in adultis agitur. Galenum inventorem jactat. Sic nobis penſitatum fuit, an* Botalli *placitum fuerit a Galeno cogni-*

cognitum? Renunciat cauſæ, & ad jurgia ſe convertit FOLIUS: *& huc uſque ſilet alter. Sed iſta potiùs ſunt digna riſu, quàm narranda Tibi.*

XXX. Arnoldo de Pontacò Vaſatenſi in Gallia Epiſcopo (qui Chronicon Euſebii, Hieronymi & Proſperi conatus eſt emendare, ita quidem, ut profiteatur, ſe bis mille errores ex iis ſuſtuliſſe, conlatis variis codicibus manuſcriptis) Antonius Poſſevinus (apud Bartholom. Keckermannum, Tom. II. Operum col. 1381. princip. edit. Genev. MDCXIV. in fol.) expreſsè ſcribit, quòd GILBERTO GENEBRARDO Chronologiam a Chriſto nato ad noſtra uſque tempora ſuppeditaverit; atque ita quodammodo inſimulat Genebrardum, quòd alienum laborem ſuppilaverit.

XXXI. Thomas Reineſius, Epiſt. x. ad Vorſtium, p. m. 28. & 30. ſcribit, b. D. GERHARDUM noſtrum, Tom. IV. Locor. n. 124. p. 235. (m. p. 88. b.) ἀκυρολογίαν voc. *merendi*, *promerendi* & *meriti* excerpſiſſe e Mornæi lib. III. de S. Euchariſtia, c. XXI. p. 1345.

XXXII. Caſpar Barthius in Animadverſionib. ad Claudiani Epigr. IV. v. 19. p. 1010. a. producto Theophylacti Simocattæ loco ſequentia ſubponit: *Verba penè ipſa cum reipſa ejuſdem auctoris exſcripſit, & in primum Annalium ſuorum ſibi tomum retulit* MICHAEL GLYCAS, *ſive tu Joannem nominari eum mavis.* Ego

lego

lego Annales Mich. Glycæ Siculi e non contemnenda editione Baſileenſi m d lxxii. in 8t. licèt non accedat ad Labbæi ſpecioſiorem Glycæ editionem, quam cum verſione, notis ac emendationibus is curavit Pariſiis m dc lx. Tu adde quæ adfert litteris Græcis atque Latinis juxta doctiſſimè cruditus, amicus meus, D. Joh. Albertus Faber in Decade Decadum Plagiariorum, n. xviii. edita Lipſiæ m dc lxxxix. in 4to. Nolim hæc Iſ. Caſauboni, quæ tradit in notis in Sveton. Domitian. c. xv. p. m. 690. b. ignorari: *Simpliciſſimam narrationem, quæ deinceps ſequitur, corrumpunt Græci non uno modò. Cedrenus quidem aliter, aliter verò Glycas, Conſtantinus Manaſſes. Hæc eſt iſtorum hominum in Hiſtoria fides; imò veriùs παραδοξολογία, vitium in rerum conditoribus a Polybio & Tacito meritiſſimè exagitatum.* Habeo in eodem volumine, quô Glycæ Annales, & Conſtantini Manaſſis Annales de Græcis Latinos factos per Jo. Lewenclajum, e Jo. Sambuci Bibliotheca Baſileæ editos m d lxxiii. in 8t. quam cur ſervem editionem cauſſam habeo.

XXXIII. Ut Hugonem Grotium Plagiariorum in Catalogum referamus, faciunt hæc Andr. Riveti in Διαλύσ. Grotianæ Diſcuſſionis Sect. viii. n. ii. extr. Tom. iii. Operum p. 1163. a. edit. Roterod. m dc lx. in fol. reperienda: *Hoc inter alia perſpicuè oſtendit, Grotium in ſimilibus Junii Bruti juvencâ ara-*

vit, &

viſſe, ubi quæſtionem tractavit, an juſta ſit belli cauſa pro ſubditis alienis, ut ab eis arceatur imperantis injuria? *libr.* II. *de jure Belli & Pacis, c.* XXV. *n.* VIII. (p. m. 456. edit. Hag. M DC LXXX. in 8t. quàm præ ceteris notari velim) *Reſpondet enim affirmativè, non quidem, ubi verè delinquunt ſubditi, vel in dubia cauſa, ſed ſi tyrannicè cum iis agatur. Si, inquit*, manifeſta ſit injuria, ſi quis Buſiris, Phalaris, Thrax Diomedes, ea in ſubditos exerceat, quæ æquo nulli probentur, ideo præcluſum erit jus humanæ ſocietatis? *Quæ verba ex infami Amphitheatro Caroli Scribanii deſumpta reperientur.* Ego habeo iſtud Amphitheatrum Honoris, in quo Calviniſtarum in Societatem Jeſu Criminationes jugulantur, Palæopoli Advaticorum editum M DC VI. in 4to, hæc autem quartô librô auctior priore eſt editio altera, obitérque percucurri, at nondum iſta reperi verba. Vide tamen lib. I. c. XI.

XXXIV. Primaſius & HAYMO, qui vel quadringentis, ut nonnulli volunt, Primaſiô poſterior annis fuit, auctore Jeſuitâ Salmerone Diſp. XX. in Epiſtol. Pauli apud Bernh. Wilderſin in Anti-Wagnerckio, c. XIV. p. m. 222. *tam ſibi ſimilia & conſona ſcribunt, ut ab uno eodemque Autore dicta videantur.*

XXXV. HELMOLDUS lib. I. Chronici Sclavorum c. X. de verbo ad verbum exſcripſit M. Adamum Canonicum Bremenſem,

lib.

lib. II. c. IV. Hiſtoriæ Eccleſ. de Hermano Billingi F. agentem; teſte Henricô Meibomiô in Vindiciis Billinganis, p. m. 307. Opuſculor. Hiſtoricor. de rebus German. Helmſtad. edit. MDCLX. in 4to.

XXXVI. Deſiderium HERALDUM Cl. Salmaſius, p. m. 24. (ut ego numeravi) Epiſtol. Dedicat. Miſcell. defenſion. De variis Obſervationib. & Emendationib. ad Jus Atticum & Romanum pertinentib. præfixæ his inceſſit: *Juris Attici voces unde haurire eſt, niſi ex Grammaticis? Si non eſſet Harpocration, quàm multa ex his ignorarentur? De Polluce idem dico & Suida, quos niſi haberemus, fruſtra doctiſſimus Advocatus* (Heraldus) *nec ſine ſummo labore Commentarios ſuos de Jure Attico poſſet abſolvere.*

XXXVII. HORATIUS *cùm univerſam irrideret imitationem, ſine illa non multum videtur potuiſſe. Ipſe enim, qui ſervum pecus imitatores appellâſſet:* (I. Epiſt. XIX. 19.) *in iis pedem locis poſuit, e quibus veſtigia ſuſtulerat Lucilius. Epiſtolas quoque, Græcorum more, Phocyllidæ, atque Theognidis, ſcripſit: præceptis Philoſophiæ divulſis, miniméque inter ſe cohærentib. In Lyricis verò quot ab illis ſuffuratus ſit loca, haud facilè dicere poſſumus, cùm illa interiêre. Exſtant tamen non pauca, quorum nonnulla ſuô locô recitabuntur,* ait Jul. Cæſar Scaliger, V. Poëtices c. I. p. m. 537. edit. MDLXXXVI. in 8t. Sequitur Henricus Julius Scheurl, Moralium olim Pro-

Profeſſor in Academia Julia, cujus e part. I. Statuæ Mercurialis, c. III. p. m. 36. ſ. editæ Helmeſtadii CIↃ IↃC LXX. in 4to. hæc adſcribo: *Nec Ennius, nec Plautus e ſuo cerebro, omnia protulêre, ſed Græcos ſunt imitati Scriptores: Terentius Menandrum ſibi propoſuit & Diphilum, Tullius Platonem & Demoſthenem, Virgilius Homerum, Salluſtius Thucydidem, Livius Polybium; Varro quoſcunque, quando, quô locô voluit, quem ideo Togatorum eruditiſſimum ſemper appellârunt. Quin ipſe etiam* Horatius *Pindarum paſſim eſt ſequutus; & quamvis Epiſt.* I. (l. XIX.) *lib.* I. Imitatores ſervum pecus *appellet; ſeque nullius Poëſin Latinam imitatum eſſe Mæcenati conetur perſuadere, apud nos tamen vix inveniet fidem. Nam certè Eunuchi Terentianæ partem* II. *Sermon. Sat.* III. *ita exprimit, ut non imitari tantum, ſed prorſus deſcribere mihi videatur: quippe & Phædriæ & Parmenonis ipſiſſima verba circa finem illius Satyræ deprehendimus. Quem ideo locum ut inſpiciant auditores noſtri, magnoperè eos hortamur. Facient id nec ſine fructu aliquo, nec ſine inſigni quapiam jucunditate.* Adde Joh. Henr. Boecleri Adnotationes in Terent. Eun. I. I. I. p. 103. Joſephi Scaligeri verba laudavimus part. X. Animadverſ. noſtrar. c. II. §. VIII. p. 172. ſ. In præfatione Horatii a ſe editi recepit Henricus Stephani, Diatriben ſe ſubjuncturum de iis locis, in quibus Græcos vel alios imitatus eſt Horatius, ſive ex iis eſt mutuatus.

tuatus.

tuatus. Sed quoniam promiſſis non ſtetit, nonnulla tamen huc facientia Obſervationibus ſuis in Anacreontis Carmina inſeruit: placet hîc ea, etſi longiora, repetere, cum Anacreontis Odæ ab Henr. Stephano luce & Latinitate donatæ Lutetiæ M. D. LIV. in 4to oppido raræ ſint. P. 76. Verba Anacreont. Carm. XIII. θέλω θέλω μανῆναι, *imitatus eſt Horatius*, II. *Carm.* Od. VII. extr. Quem Venus arbitrum &c. *Et lib.* III. Od. XIX. 18. Inſanire juvat: cur Berecynthiæ Ceſſant flamina tibiæ. *Hos quoque noſtri Poëtæ verſus*, Carm. V. ἐμὲ μᾶλλον ὡς ἔτι ζῶ, Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα Πύκασον· καλὴ δ᾽ ἑταίρην, *ex ipſo Horatio ſum interpretatus. Sed & quod Noſter ait*: Carm. XXXIX. Ἀποσείονται μέριμναι, πολυφρόντιδές τε βουλαὶ ἐς ἁλικλύπους ἀήτας. *& alibi, ſi quidem & hæc ode ejus* (LVI.) *eſt p.* 57. (Εἰς χρυσόν) Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις φέρειν ἔδωκα λύπας: *ille* (Horatius, I. Od. XXVI. I. 2.) *ſic*: —Triſtitiam, & metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis —. *Sed illa leviora videri poſſunt, hæc verò majoris ſunt momenti, in quibus apertiùs imitatur, vel potiùs interpretatur noſtrum Poëtam: ut lib.* III. Od. XI. 9. 10. 11. 12. *de Lyde amica*, Quæ, velut latis equa trima campis, Ludit exultim, metuítque tangi, Nuptiarum expers, & adhuc protervo Cruda marito. *Anacreon*, Carm LXIV. πῶλε Θρηκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα, Νηλεῶς φεύγεις,

δο-

δοκέεις δὲ &c. *Paulò poſt :* Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι, Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις. *Horatius*, I. Od. XXIII. I. Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe, Quærenti pavidam montibus aviis Matrem, non ſine vano Aurarum, & ſylvæ metu. *Anacreon* (Ego fruſtra quæſivi hunc locum) οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα Γαλαθηνὸν, ὅς ἐν ὕλῃ κεροέσης ἀπολειφθεὶς ἀπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. *Idem Horatius* I. *lib.* Od. XXVI. I. Natis in uſum lætitiæ ſcyphis, Pugnare Thracum eſt; tollite barbarum Morem — *Anacreon*, Carm. LXI. Ἄγε δῶτε, μηκέθ' οὕτω Παλάγῳ τε κἀλαλητῷ Σκυθικὴν πίσιν παρ' οἴνῳ Μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς Ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις. *Niſi mendum hic eſt. Caterùm vel ex his æſtimare poſſumus, quàm multa ex noſtro Poëta* (Anacreonte) *mutuatus* ſit Horatius: *quæ paterent omnibus, ſi, quemadmodùm hujus, ita & illius opera extarent. quanquàm ſatis notum eſt, plura hunc ex Alcæo, quàm ex ullo alio tranſcripſiſſe: quod nec ipſe diſſimulat. Videamus ergo & Carminum hujus aliquot particulas, quas ſuis odis* Horatius *aſſuit. Alcæus*, Ὕει μὲν ὁ ζεὺς, ἐν δ' ὠρανῷ μέγας χείμων, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί. Κάββαλλε τὸν χείμων', ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ, ἐν δὲ κιρνὰς οἶνον ἀφειδέως. *Horatius*, I. Od. IX. I. Vides, ut altâ ſtet nive candidum Soracte, nec jam ſuſtineant onus ſilvæ laborantes, gelúque Flumina conſtiterint acutô? Diſſolve frigus, ligna ſuper foco Largè reponens: atque benigniùs Deprome quadrimum Sabina.

O

O Thaliarche merum dyota. *Vides, ut hic Horatius non imitetur Alcæum, ſed ita eum interpretetur, ut verbum verbo reddat. Alcæus,* Νῦν χρὴ μεθύσκειν, καί τινα πρὸς βίαν πίνειν. *Horatius,* I. Od. XXXVII. 1. Nunc eſt bibendum, nunc pede liberô Pulſanda tellus. *Alcæus,* Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω. *Horatius,* I. Od. XVIII. 1. Nullam Vare ſacrâ vite priùs ſeveris arborem Circa mite ſolum Tyburis & mœnia Catili. *Alcæus,* Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ. τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Α' δ' ὥρα χαλεπά. πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος. *Horatius ad pocula Mecœnatem* (l. Mæcenatem) *invitans,* III. Od. XXIX. 18. — Jam Procyon furit, Et ſtella veſani leonis, Sole dies referente ſiccos. *Sed hæc certè ſunt pauca ex multis, quæ afferre poſſemus, ſi ex pleno fonte haurire liceret: nam ſi hæc omnia* ἀποσπασμάτια *inter* Horatii *Odas latere deprehendimus, quid ſi corpus integrum hujus Græci Poëtæ extaret? Certè quod ad Odam illam* IX. lib. I. *attinet*: Vides, ut altâ ſtet nive candidum Soracte, *non puto principium tantùm ejus ſumptum ex Alcæo, ſed totam ejus eſſe Odam; nam & quæ proximè hanc ſequitur, ejus eſſe conſtat: nimirum illam* X. lib. I. Mercuri facunde nepos Atlantis &c. *Sunt alia odæ, in quibus Alcæum non quidem per omnia ſecutus videtur, ſed diſperſè aliqua ejus dicta collocâſſe; quarum etiam illa eſt ad teſtam,* lib. III. Od. XXI. O nata mecum Conſule Manliô. *In hac enim, cùm in aliis*

alius aliquot verſibus videtur expreſſiſſe quædam Alcæi, tùm in ultimis his , Te (*o teſta*) vivæ producunt lucernæ, Dum rediens fugat aſtra Phœbus, *videri poſſit alluſiſſe ad hæc illius verba:* πίνωμεν, τί τὸν λύχνον σβέννυμεν, δάκτυλος ἁμέρα. *Quid autem ſibi velit in hoc verſu*, δάκτυλος ἁμέρα (*quæ verba nonnulli mendoſa exiſtimant*) *apparet ex quodam incerti authoris epigrammate; cujus initium eſt:* πῖν' Ἀσκληπιάδη, τί τὰ δάκρυα ταῦτα, τί πάσχεις, *ſic autem clauditur:* πίνωμεν Βάκχου ζωρὸν πόμα. δάκτυλος ἀώς. Ἦ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν.μένομεν. *Videtur autem author verbis Alcæi voluiſſe ſuum Epigramma claudere, non legens*, τί τὸν λύχνον σβέννυμεν, *ſed* τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν, *pro* ἀναμένομεν, *quam lectionem habes etiam alicubi apud Athenæum.* (Locus eſt lib. XI. c. VIII. extr. p. m. 480. f. edit. Lugdun. M DC LVII. in fol. adde Iſ. Caſaubon. in notis in h. l. col. m. 800. edit. ibid. M DC LXIV. in fol.) *Si tamen* Horatius *alluſit ad hunc Alcæi verſum*, σβέννυμεν *legit. Et de hoc quidem loco hactenus. Videtur autem & in illa Ode* (XIV. lib. I.) *cujus initium eſt:* O navis, referent in mare te novi Fluctus, *imitatus Alcæum, ex quo extant nonnulla eodem modô* ἀλληγορούμενα. *Plena autem fuiſſe hujuſmodi allegoriis ejus Carmina, teſtantur veteres Scriptores; quum enim ille apertè invehi in tyrannos non auderet, obſcurè loquebatur. Ex Pindaro quoque nonnulla mutuatus eſt* Horatius, *ut hoc Odes* (XII. lib. I.) *initium:*

Quem

Quem virum, aut heroa, lyra vel acri Tibiâ. ſumis celebrare Clio? *Sic enim Pindarus*, Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι Τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα, Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν. *Denique* Horatius *multa ex iis, quos nominavimus, Poëtis, aliiſque apertè transfert: quæ autem aliunde ita mutuatur, ut ſua tamen velit videri, ea ita in varias formas commutat, ut vix ab eo, cujus ſunt, ſi adſit, agnoſci poſſint: & hoc eſt honeſtè furari. Nam non eſſe turpe ex antiquo ſcriptore* furari, *docuerunt nos ſuô exemplô ipſi Græci, quorum furta memoriæ prodita ſunt quam plurima. Ipſe enim Homerus ex Orpheo & Muſæo multa furatus eſt: ex Homero viciſſim poſteri ferè omnes multò plura. Quid Poëtæ Tragici? Euripides multa non ex Homero tantùm, ſed & aliis compilavit, qui Homeri ætatem ſecuti ſunt. Sophocles rurſus haud pauca Euripidi. Sed nec ipſi Comici alii ab aliorum ſcriptis manus abſtinuerunt. Ita igitur furari turpe non eſt: ſed furti convinci, hoc verò longè eſt turpiſſimum. Nam & apud Lacedæmonios, qui cautè furari potuerat, impunitus abibat; qui in furto deprehenſus erat, loris cædebatur. Nec injuriâ, meô quidem judiciô; nam, quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat. At qui in furtô deprehenditur, imperitus eſt artis quam profitetur.* Hinc Horatium *omnia ad Græcam elegantiam effinxiſſe, Latinúmque Pindarum, & Pindaricum cygnum a Tertulliano & Sidonio Apollinari cognominatum eſſe*, adcredimus amœni & elegantis ingenii viro

viro Conr. Sam. Schurtzfleiſchio; cujus memoria me nunc ita recreat, ut fovebat olim Wittebergæ amicitia, Epiſt. DLXXX. p. m. 944. edit. Vitemberg. CIↃ IↃCC. in 8t. licèt neutrum adhuc locum repererimus.

XXXVIII. Quàm turpiter Rodolphus HOSPINIANUS, Theologus quondam Tigurinus, Baronium exſcripſerit, verbis Andr. Wilkii oſtendi part. IV. Animadverſionum, c. IV. §. IX. extr. p. 187. ſ.

XXXIX. *Vidit* HOTOMANUS, inquit Petrus Neveletus Doſchius JCtus in Vita Franciſci Hotomani, quam Frider. Jac. Leickherus JCtus clariſſ. vitis JCtorum Lipſiæ M DC LXXXVI. a ſe editis in 8t. inſeruit, & Janus Guilielm. Meelius, ſingulare Juris & Humaniorum ornamentum, Hotomanorum Epiſtolis Amſtelædami editis MDCC. in 4to, nobiſque ab ipſo muneri miſſis præfixit; p. m. ut ego numeravi, 27. *perſpicaci vir ingenio, quàm imperitè quámque impudenter eorum, qui ſe Pragmaticorum & Canoniſtarum nominibus venditant nonnulli, Romanas Leges ad arbitrium ſuum inflecterent: ac fibulam iſtis impoſuerat diſputationibus quibuſdam ſuis contra ſecta utriuſque Patriarchas: quas* furto ſibi periiſſe, *apud amicos ſæpe conqueſtus eſt, præter nonnulla earum capita, Obſervationum libris ab eo poſt inſerta.*

XL. Gabriel HUMELBERGIUS Ravenſpurgenſis Adnotationes ſcripſit in Apicium

Cœlium. De Humelb. hæc ad Chriſtianum Daumium Epiſt. CXXI. p. m. 296. Thomas Reineſius ſcribit: *Apicium Torini Baſil. quoad libros quatuor priores contuli, quod ipſum Te promittere memini, ad* Humelbergianum *Tigur. annô* MDXLII. *Ille in mendoſum exemplar incidit, deditque quod reperit; hic mendas eloturus, etiam aliquas intulit, ingratus quoque in* Torinum, *cujus operam, quam non potuit ignorare, ne mentione quidem dignatus eſt. Puerilis error ejus eſt, cùm ad c.* V. *lib.* II. *notat*, fartores *eſſe, qui farcimina faciunt.*

XLI. JASON celebri Maynorum familiâ apud Mediolanenſes natus, Præceptores in Jure habuit Alexandrum & Hieronymum de Torte, a quo multa mutuatus eſſe dicitur Valentino Förſtero, III. Hiſtoriæ Juris Civilis Roman. c. XL. §. 1. p. 536.

XLII. JOACHIMUS Abbas (non ille famigeratiſſimus, qui ſub Friderico I. Imperatore claruit, *vir prophetico Spiritu plenus*, ſecundùm Matthæum Palmerium ad A. C. CIↃCLXXXVI. quem mſcrm habeo, ſed multò recentior quidam;) e Joannis de Heſe *Presbyteri Trajectenſis, qui præcipitante ſeculô* XIV. *itinere in Palæſtinam aliaſque regiones ſuſceptô, Chriſtianorum nationes diligenter obſervavit, Itinerario, omnia ſua de Nationibus Chriſtianorum in Adpendice Latina, addita Claudii Duret Theſauro Hiſtoriæ Linguarum Gallicè ſcripto verbotenus* (f. *ad verbum*) *tranſ-*

ſcripſit,

ſcripſit, ut teſtatur auctor Programmatum, nomine Rectoris & Senatus Academiæ Regiomontanæ propoſitorum ibi, iv. annô cIↃ IↃC LXXI. & vi. annô M DC LXXIII. de Vera Chriſti Deitate.

XLIII. *Apud* Isidorum *Peluſiotam*, ſcribit Andr. Dounæus in notis in Homil. vi. Chryſoſtomi in ii. ad Corinth. T. viii. Chryſoſt. oper. edit. opt. Savil. ſive Etonenſ. cIↃ IↃC xii. in fol. col. m. 322. *Johannis noſtri* (Chryſoſtomi) *γνώρισμον*, *lib.* ii. *Epiſt.* cxxxv. *locum hunc totidem penè verbis deprehendi, quemadmodum & multa alia; quæ ille a magiſtro mutuatus eſt*: Ego cuſtodio in Bibliotheca mea Iſidori Peluſiotæ Epiſtolas hactenus ineditas de Locis S. Scripturæ moribúſque formandis e Vaticana Pontificis Bibliotheca Græcè primùm erutas notíſque & argumentis illuſtratas ab Andr. Schotto, Antverpiæ editas M DC XXIII. in 8t. quam editionem non mutabit, qui ſciet, quid in ſequutis hanc editionibus deſideretur.

XLIV. Isocratem *in Panathenaicam ſuam, ea quæ Gorgiæ erant, tranſtuliſſe, auctorem eſſe Plutarchum*, falsò exiſtimat Ger. Jo. Voſſius, in De Rhetorices Natura & Conſtitut. c. x. p. m. 71. Nam non de Panathenaica, ſed de Panegyrica id tradere Plutarchum, hujus verbis docebo, legendis Tom. ii. Operum in x. Rhetorum Vita, n. iv. p. m. 837. F. edit. Lu-

tet. Pariſ. MDCXXIV. in ſol. Ὀκτὼ καὶ ἐννήκοντα ἔτη βιοὺς, ἢ (ὥς τινες) ἑκατὸν, οὐχ ὑπομείνας τετράκις ἰδεῖν τὴν Ἑλλάδα καταδουλωμένην πρὸ ἐνιαυτοῦ, ἢ (ὥς τινες) πρὸ τεσσάρων τῆς τελευτῆς συγγράψας τὸν παναθαιναϊκόν. τὸν δὲ πανηγυρικὸν ἔτεσι δέκα συνέθηκεν, οἱ δὲ, δεκαπέντε λέγουσιν, ὃν μετενηνοχέναι ἐκ τοῦ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Λυσίου. i. e. *Annos vixit* XCVIII. *aut (ut alii tradunt) C. non ſuſtinens videre Græciam quartùm in ſervitutem redactam; annô (ſunt qui quatuor annos dicant) ante mortem, Panathenaicam ſcripſit orationem. Panegyricum annis ante exitum* X. *aut (ſi aliis credendum ſit)* XV. *quem e Gorgiæ Leontini & Lyſiæ ſcriptis fertur tranſtuliſſe.*

XLV. Chriſtianus Hoffmannus, Wratiſlavienſis Sileſius, omni doctrinæ reconditioris genere perpolitus vir, in erudita Diſſertatione, quam Umbram in Luce inſcripſit, & Jenæ annó CIↃ IↃC LXVII. ſub b. D. Joh. Erneſto Gerhardo habuit & edidit, c. II. §. XLVI. Aa. 3. de Athanaſio Kirchero ſequentia habet: *Hæc* Kircherus *T. 2. Oed. p. 1. cl. 4. c. 1. p. 214. ex Rittangelio p. m. 12. qui etiam p. 13. eadem nomina ſub currus forma ſchematicè proponit. Iconiſmum totius Cabbalæ vide apud* Kircherum, *l. c. c. 8. p. 289. Plura ex eo adderem, ſi cum Exſcribtore* (Kirchero) *lenocinari, quàm cum Scribtore* (Rittangelio) *deliciari mallem. Miror, immortalis nominis virum, mutuum reddere noluiſſe, cùm præſertim ſors facta fuerit ex uſura.*

ſura. (*Plin. præfat. lib.* 1. *H. N.*) *Ne in Autorum quidem Catalogo nomen ejus addidit, cùm tamen librum Jezirah poſuerit. Conferantur, ſodes, Rittangel. p.* 5. *&* 6. Kircherus *T.* 2. *Oed. Æg. P. I. cl.* 4. *c.* 8. *§.* 1. *p.* 290. *Rittangel. p.* 35. Kircher. *l. c. p.* 293. *Rittang. à p.* 65. *ad* 69. Kircher. *T.* 3. *p.* 587. *& eadem verba repetientur. Paria quoque occurrunt apud* Kircher. *T.* 2. *P.* 1. *p.* 295. *ex Rittang. p.* 9. *niſi quòd* Kircherus *pro* magiſtris, *legat* miniſtris. *& p.* 296. *ex Rittang. p.* 10. *ubi tamen iterum variat, & pro Rittangelii verbis*, ſexcenta & viginti, *reponit* 61. ספר יצירה i.e. Liber jezirah, qui Abrahamo Patriarchæ adſcribitur, unà cùm commentario Rabbi Abraham F. D. ſuper XXXII. Semitis Sapientiæ, a quibus liber jezirah incipit, tranſlatus & notis illuſtratus a Joanne Stephano Rittangelio Bambergenſi, Ling. Orient. in Elector. Acad. Regiomontana Prof. Extraord. prodiit Amſtelod. CIƆ IƆC XLII. in 4to. De Kirchero nonnihil adtulimus part. III. Animadverſionum noſtrar. c. II. §. IX. p. non 174. ut mendosè legitur in Indice, ſed 72. De Editionibus Oedipi forſan alibi agam.

XLVI. Nicolaus Leonicus *ſæpe Stephanum de Urbibus tranſſcribit innominatum*, ſcribit Thomas de Pinedo Luſitanus in Breviario, ſeu Commentariolo Auctorum, quos ad Teſtimonium vocat Stephanus, p. m. 753. a. edito

dito & ſubjuncto Stephano a Pinedo curato Amſtelodami CIↃ IↃC LXXVIII. in fol.

XLVII. Macrobio *mos eſt*, auctore Deſiderio, lib. III. Eccleſiaſtæ, p. m. 509. edit. opt. Baſil. CIↃ IↃ XLIV. in 8t. *quum nihil adferat ex ſeſe, tamen mirô ſtudiô celare autores. Conſtat illum multa ad verbum decerpſiſſe ex Noctibus Atticis A. Gellii, ſed citra nomenclaturam omnia.*

XLVIII. Magentinus Metropolita ex Ammonio ſua hauſit. Voſſius De Logices Natura, c. XI. p. m. 68. 73.

XLIX. Hieronymus Magius, ſi credimus Antonio Borremanſio, c. VI. p. 109. Veſper. Gorinchem. *pleraque ſua ex Franc. Campano deſcribit* in Annotat. ad Corn. Nepot. Pauſaniam, nam de his ibi loquitur Borremanſius.

L. Thomam Malvendam Franciſci Junii plagiarium vocat b. D. Joh. Benedict. Carpzov. Filius, ad ea genitus, quæ Majores virtute pepererunt & doctrinâ, continuanda, part. II. Funebr. concionum, n. XIV. p. m. 660.

LI. Marcellus Empiricus *veterum ſcripta ad verbum penè deſcripſit: in ſuperſtitioſis tamen præ ceteris curioſus fuit, & quidem curioſior, quam hominem Chriſtianum decebat*, judice Caſp. Barthiô, lib. IV. Adverſarior. c. XIV. col. m. 186.

LII. Geographica & Hiſtorica Herodoti, quæ Latinè Pomponius Mela exſcripſit παραλ-

ξαλήλως concinnata ab And. Schotto prodiêrunt Antverpiæ M D LXXXII. in 4to.

LIII. Exſtat MODESTI De vocabulis Rei Militaris Libellus ad Tacitum Auguſtum inter Veteres de Re militari Scriptores & Tractatus Veſaliæ Clivorum editos CIƆ DC LXX. in 8t. in quem Godeſcalc. Stewechius p. m. 360. hæc præfatur: *Scio eſſe, qui huic* (Modeſto) *plagii notam inurere, & quaſi Fl. Vegetii labores ſibi ſubpoſitum ièrit, inſimulare conati ſint: Verumtamen illi non animadvertunt, puto, Vegetium ſub Valentiniano Imperatore, Modeſtum ſub Tacito floruiſſe. Qui Tacitus tres Valentinianos, &, unde genus illi duxêre, Gratianum ipſum ſpatiô* XC. *& quod excurrit, annorum præceſſit. Hoc amplius, Epitomen tantùm ex diverſis bellicæ diſciplinæ Scriptoribus Vegetium confeciſſe, nemini poteſt eſſe ignotum*: MODESTUS *verò quis fuerit, ſuſpicari facilius ſit, quàm pro certo adfirmare.* At Caſp. Barthius in Animadverſionibus in Claudiani II. v. 334. de Laudib. Stilic. p. m. 219. b. edit. opt. Francof. M DC L. in 4to: *Quid manipulus*, inquit, *& unde dictus, habes apud Vegetium & Julium, qui inſcribitur*, Modeſtum. *Videtur iſte libellus vel ex Vegetio decerptus, vel ab ipſo, ante eum factus, (cùm verba ipſa conſonent) ut foret a memoria militarium rerum cuidam Principi. Non aliter quàm ad rerum geſtarum repetitionem ſcripti ſunt libelli Sexti Rufi & Eutropii.* Et in Claudiani Panegyric. in IV. Conſulat.

Honorii v. 527. p. 695. b. *Quicunque hic* Modestus, *pene verbis Vegetii conſtat, vel hic illius. Libellus certè Romanus.* Item in Claudiani II. in Rufin. v. 177. p. 1218. a. Modesti *Epitomen Rei Militaris Vegetio excerptam dicas, niſi Vegetiô antiquiorem eſſe, ex fine ſuſpicari poſſis. De quo in Dubiis.* Sed hæc Barthii Dubia nunquam in lucem prolata ſunt. Libellus Modeſti acceſſit Leonis Imperatoris De Bellico Adparatu libro, e Græco in Latinum converſo, Joann. Checô Cantabrigienſi interprete, Baſileæque edito CIↃ IↃXCV. in 12.

LIV. *Si* Severinus de Monzambano, judicat Pacificus a Lapide apud Chriſtianum Vigilem (i. e. Geſenium) in Chriſtiana Benedictione ad impiam & immanem maledicentiam Sam. Pufendorfii, p. m. 24. edita Germanopoli CIↃ IↃ (l. IↃC) LXXV. in 4to, *veſtem, quam e Conringiano juris publici Cornucopia (f. Cornucopiæ) libello ſuo adaptavit, Dn. Conringio Helmſtadium remittere debeat, fore, ut cum fœtu ingenii ſui ſtaret ſic ſatis nudus.* Qui autem Severinus iſte ſit, exponit idem ibidem Geſenius, Inſpector olim Gardelebenſis in vetere Marchia, p. m. 6. *Non Te* (Pufendorf.) *clam eſt, quàm Monzambani famoſi illius ſcripti publica fama Te authorem ferat. Neque Tu apertè negare audes, ab hoc Tibi fœtu uterum intumuiſſe, ut in lucem exponi deberet: tantum pro tuo non agnoſcis filium tantoperè deamatum, veritus fortè, ut*

lex,

lex, Ne filius pro Patre, *invertatur*, *quaſque meruit filius pœnas luere parens debeat. Sed hæc nihil ad me. Publicâ Tibi* (Pufendorfio) *famâ tribui, ſive velis, ſive nolis, perinde eſt, famoſum illud Monzambani ſcriptum diffiteri prorſus non potuiſti*. Vide ipſum Geſenium, *non fidem, non religionem, non ſummam in Imperio Romano poteſtatem ab injurioſo hoc & petulanti ſtylo tuta eſſe potuiſſe, ſacra profanáque tacta eſſe omnia*, multis id perſequutum. Auctore Joh. Deckherrô in p. m. 165. Conjectur. de ſcriptis adeſpotis p. 165. edit. Amſtelæd. 1686. in 12. *honeſtè diſſimulat* Pufendorf. in Apolog. pro ſe & ſuo libro de Jur. Nat. & Gent. *mordaci verò & virô bonô protinus indignâ ſceleſtâque ratione exprobrat, dignus, cujus nomen ferali ſub umbra lateat*, Veridicus Conſtans: huic, inquit, ſuavis, ſi diis placet, accuratus, imò ineptus, Sarckmaſius, proximus Pacificus a Lapide, multis notatus, paucis intellectus. Miror utrumque a multis carpi, & fideliter tamen a carpentibus deſcribi. *Alii equidem etiam mirantur, ſed quid? en! Viro tam fervidè laudari ſcriptum (Pacif. a Lapide) quô Reſpublica Eruditorum poſt pleraque* ἀναπολογεῖως (f. ἀναπολογήτως) *ex Conringianis deſcripta ex jocularibus Academicis diſcurſibus hauſta, & in Adverſaria conjecta, plura jam pridem edita, non ſine lucro carere potuiſſet*. Nimirum id hodie ſolemne eſt, *pergit Sarckmaſius*, ut Scriptor Scriptori tenaciùs inſiſtat,

& dum ipſe non habet, unde ſe ornet, aliis plumis veniat ornatus veritati & omnibus bonis fucum facturus. *Scripſit autem* Pacificum a Lapide *inter ſtudiorum publicandorum primordia* Philippus Andreas Oldenburgerus *ex fictis* Burgoldenſis, Franciſci Irenici, Waremun- von Fridberg &c. *nominibus ad ſufficientiam & nauſeam uſque manifeſtatus.* Hæc Deckherrus.

LV. THOMAM MUNCKERUM, Gymnaſii Delphenſium Rectorem, his adoritur verbis hujus inimicus Abraham. Berkelius in Emendationibus & notis ad Anton. Liberalis Metamorphoſ. c. XIX. p. m. 272. extr. edit. Lugdun. CIↃ IↃC LXXVI. in 12. *Quidam in notis ad hunc Scriptorem* (is eſt Muncker in cit. Anton. loc. p. m. 154. extr. edit. Amſtelod. M DC LXXVI. in 12.) corrigit Μελιοσέως παισί. *Sed cave credas, mi lector, id ab illo homine eſſe profectum. Evidentiſſimis argumentis in nuperis ad me datis Jac. Gronovius demonſtrat, ſe hujus emendationis eſſe πατέρα.* Suſpicionem iſtius plagii jam Noribergæ, ex Italia rediens, & apud V. Cl. Chriſtophorum Arnoldum evolvens Hygini tum recens illuc venientis novam editionem conceperat, quum in notis ad eundem Scriptorem viderat citari Apollodorum, prout eum ipſe correxerat, non prout vulgo legitur. *Quô pactô autem hæc emendatio ad magiſtrum illum pervenerit, jam excutere non lubet.* At docet id Cl. Perizonius in p. 21. Reſponſionis

ſionis ad Nuperam Notitiam hìc editæ 1703. in 8r. *Illud autem ita in Apollodoro corrigendum, in familiari ſermone dixerat olim V. Cl.* (i. e. Gronov.) *cujus, utpote rei leviſſimæ, & ex fabuloſa Hiſtoria notiſſimæ, oblitus fuerat Munckerus.* Interjectis aliquot pergit Berkelius, l. c. p. 273. *Verùm ut decenti pietate manes Magni Johannis Frederici Gronovii colere & ſemper coluiſſe videar, ei reſtituam, quô idem homo ſe exornavit, ut per ora βεκκεσελωιζόντων magnificè incederet. Ad Hyginum Fab.* CCL. *ex Tzetzæ Hiſt. Chil. hunc locum citat*: Ἐν βύρσαις τε καὶ λύβησι *&c. ubi emendat* λήβησι. *Sed ſcias lector, jam olim* τ̃ Μακαρίτου (Gronov.) *lib.* III. *c.* XV. *Obſervat. illum Tzetzæ locum ex Apollodoro eodem modô correxiſſe, quas aliis occaſionibus citâſſe & legiſſe inficias ire non poteſt.* Excuſat tamen ſe hìc Munkerus in notis ad loc. Hygini cit. p. m. 304. extr. a. *Sed occupâſſe hoc jam ſummum virum J. Fr. Gronovium monuit me quidam.* (Berkel.) *Gratias habeo monitori. Peream, ſi ſciverim.* Ceterùm nec in Apollodoro, lib. I. p. m. 34. edit. Commelin. CIↃ IↃ XCIX. in 8r. ut ipſum rectè Munkerus adduxit, nec in J. F. Gronovio eſt λήβησι, ut uterque & Munkerus & Berkelius habent, ſed λέβησι. Pro ἐξηραμμένας autem, ut in Gronovio eſt, Apollodori editiones meæ, tum Commeliniana tum Salmurienſis, quam Tanaqu. Faber recenſuit & MDCLXI. in 8r. Lenerius edidit, p. m. 43.

legunt ἐξηρημένας: Addit tamen hìc in notis Faber p. 268. *Palat.* ἐξηραμμένας, ſiccatas, *longe meliùs.* & Hieron. Commelinus in notis P. ἐξηραμμένας, quod malim. Sed pergentem audiemus Berkelium, *Miror profectò, ad illa verba toties in illis notis recantatam cantilenam cantatum non iri*: correctionem hujus loci video etiam aliis in mentem veniſſe: in eo nos occupavit aliquis: video hoc quendam ante me feciſſe, *vel ſimilia* τριβολεκτεράπελα, *quæ ibi ad deriſum & ineptias uſque occurrunt & leguntur. Ejuſdem farinæ eſt, quod invenitur, ad locum fabulæ* cxcv. p. m. 275. Ille liberos optavit, Mercurius de tauro, quem Hercules Ypſeo ei immolarat, corium protulit. *Gronovius ante multos annos emendavit*: Quem Hyrieus ipſe eis immolârat. *Hanc detectam & profligatam ſordem gratâ mente Viro maximo acceptam refert Cornel. Tollius ad Palæphatum*, p. m. 167. ſ. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC XLIX. in 12. *Sic ad eandem fabulam corrigit Germanicum & Servium, ſed tacitè ex eodem Tollio fontes iſtarum emendationum hauſit. Plurima nunc aliunde tranſcripta addere, & ſimul refellendorum ſeriem pertexere poſſem, quorum quædam jam revocata video, ſed illa, majus opus meditans, in aliud tempus reſervabo.* Sed enim Munckerus in notis in Hygini Fab. cxcv. p. m. 275. a. b. edit. Amſtelod. M,DC LXXXI in 8t. hæc reliquit: *Hæc ſcripſeram, cùm incidi in Doct. Tollii notas ad Palæphatum,*

tum, *ubi ſummum Gronovium locum hunc ita conſtituere video*: quem Hyricus ipſe eis. *Optimè.* Ego nonnullos manu Munkeri non parum ornatos habeo in Bibliotheca mea libros, qui ſingularem ingenuitatem illius me viri docuerunt, licet difficulter ejus ſcriptura legi poſſit.

LVI. *Tzetzam*, *Scholiis in Heſiodum*, *Elyſios campos deſcribentem*, *exſcribit* MURETUS *nomen ſupprimens*, *lib.* V. *Variar. c.* I. *quod eis dedit*, ſcribit Barthius Animadverſ. ad Claudiani lib. II. de Raptu, v. 283. p. m. 917. b. Supra §. XXIV. notavimus Cognatum compilâſſe Muretum. Muta ibi XLVI. in LVI. Commodùm hìc incidunt verba Ger. Joan. Voſſii, e lib. II. Inſtitut. Orator. c. XII. ſect. V. extr. p. m. 280. extr. edit. Lugdun. M DC XLIII. in 4to. *In affectibus potiſſima hauſimus ex fonte Ariſtotelis*, *unde etiam manavit rivus ille amœniſſimus apud* Antonium Muretum *Commentario in Catilinariam* I. (C. XII.) *ubi egregiè*, *ut ſolet*, *de hoc differit affectu*, invidia.

LVII. Quomodò B. Linemannum pro motu Terræ deſcripſerit Henricus NICOLAI apud Elbingenſes & Gedanenſes Theolog. ac Philoſ. Profeſſor, indicat b. D. Calovius, Tom. III. Syſtemat. Artic. V. c. II. Q. VII. extr. p. m. 1048.

LVIII. Jacobum OUZELIUM jam olim plagiariorum in numero poſuit Joh. Alb. Faber, n. XXXII. Nobis venit in mentem, quæ

I 7 Ou-

Ouzelius ad c. v. 7. Minucii, p. m. 36. b. notavit, eum deſcripſiſſe e Barthii Animadverſion. in Claudiani I. in Rufin. v. 16. p. m. 1088. b. quæ ad c. v. 11. p. 39. b. ex eodem Barthio, ibid. p. 1086. a. quæ ad c. xvii. extr. 134. b. e dicto Barthio, in Claudiani iv. Conſulat. Honorii v. 235. p. m. 617. b. Cùm Catalogum tam multorum librorum, quos magnis nimis collegit ſumptibus Ouzelius, vidi, quem fructum ex ea ceperit? e multis quæſivi nequidquam. Etſi nonnullos noverim egregias in Belgio ſibi Bibliothecas comparantes & numeroſas, Latinæ & Græcæ Linguæ expertes. Vidi quempiam Mennonitam, ſive Socinianum potius, qui omnes Græcos pariter & Latinos emit Patres, quorum Titulos horúmque legere elementa non poterat. Marcus Zuer. Boxhornius p. m. 235. Epiſtol. edit. Amſtelod. ciↄ iↄc lxii. in 12. Paulo Terhaario Amſtelodamæo ſcribit: *Adfui ipſe, ne mireris, τῷ πάνυ Claudio noſtro Salmaſio, qui mihi inſpiciendam ſtatim obtulit Satyram tuam; tum & Minutii Felicis, nuper editi ad Uzelio, exemplar tuum, in quo furta ejus omnia & ſingulis paginis & lineis diligenter atque fideliter annotaveras.*

LIX. Conradus Pellicanus *Eraſmum κατὰ πόδα ſequitur in Commentariis ſuis*, ſcribit Georg. Vechnerus in Palo Pauli, ſect. 3. p. m. 19. edito Leſnæ ciↄ iↄc xliv. in 8t. & ſect.

9.

9. p. 42. *Sequitur Eraſmum hac parte, ut locis infinitis aliis, pede preſſim, Scholiaſtes ille Tigurinorum celeberrimus* Conr. Pellicanus, *adeò nihil ab illo diſcrepans, ut verba quoque prorſus eadem repetat.*

LX. Non ab re miratur b. Auguſtus Buchnerus, ut puto, in Acceſſionibus ad Fabri Theſaurum Latinæ Linguæ, Voc. *Phædrus*, col. m. 1911. edit. Lipſienſ. M DC XCII. in fol. eruditiſſimum virum Petrum Scriverium Animadverſion. in Martialem, lib. III. epigr. XX. p. m. 88. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XVIII. in 12. Phædrum Fabularum auctorem indignum judicâſſe, qui ad optimum illud, quod præfert, ævum referatur, multô enim recentiorem fœtum eſſe, cui Nicolaus Perottus, Sipontinus Pontifex, fuerit pater, adductus iis, quæ ille in cornucopiæ (nam vitiosè *Cornucopiá* eſt in Lexico laudato, quod miror Cl. Cellarium non emendâſſe, cùm & ipſe Perotti liber *Cornucopiæ* non *Cornucopia* ſit inſcriptus. Vide quæ adtulimus de hac voce part. XIV. Animadverſionum noſtrar. §. II. p. 24. 26. etſi non ignoro Ammianum Marcellinum, lib. XXV. c. II. ſcribere: *Velatá cum capite Cornucopiá:*) in Martialis lib. I. Epigr. LXXVI. (at Perotto eſt CV. f. 227. nam 217. mendum eſt. Utor editione Pariſinâ M D IV. in fol. aliis eſt Epigr. LXXVII.) de Fabellis ſuis ex Avieno converſis refert atque producit. *Poſſunt*, inquit

quit Scriverius ad Martial. III. XX. 5. *ne magis decoquere de judicio ac magis ludere de otio, ſuo viri docti, qui exiſtimant Fabulatorem Phædrum a clariſſ. Pithœo editum, & cujus Avienus quidam, ſive Avianus, in præfatione Fabularum ſuarum Æſopiarum ad Theodoſium meminit, hunc eundem eſſe, de quo loquitur Martialis? Volunt nos credere ſcilicet, Libertum illum Auguſti Cæſaris fuiſſe, ſtilô atque tempore parem proximúmve Laberio vel Publio Mimo; & quidem, quantum conjiciunt, ſub Tiberio vixiſſe, atque adeò poſt Sejanum damnatum. Nugæ. Certè, niſi vehementer fallor, avô illo dignus cenſeri minimè poteſt ſcriptor iſte, cuicui tandem ille alapas & libertatem debeat: Parco argumenta ſigillatim adponere, quæ me movent & cogunt ſeorſim ſentire, fœtúmque alieniſſimum pronunciare impellunt a jocis Phædri, cujus hìc Martialis meminit. Oſtendam fortaſſe aliàs plenè, ubi otium erit & animus iſthæc frivola pertractandi. Interim conſidera mihi, quæ olim* Perottus Pontifex Sipontinus (ita enim eſt in meo libro, non *Sipontius*, ut in Scriverio) *in Commentariis ſuis ad lib.* I. *Martialis conſignavit, ad hunc locum:* Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor *&c.* Alluſit (*inquit* Perottus) ad Fabulam, quam nos ex Avieno in Fabellas noſtras adoleſcentes Jambicô carmine tranſtulimus:

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores: quercus Jovi,

Et

Et myrtus Veneri placuit &c.

quæ ſequuntur ibi totis duodecim verſibus, & finiunt: Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria. *Quæ ipſiſſima Phædri illius ſunt, a Pithœo primùm & poſt a Rittershuſio, Rigaltio atque aliis editi, notiſque & ſcholiis illuſtrati. Exſtant lib.* v. *Fab.* LVI. (m. lib. III. Fab. XVIII.) *Variat quidem Perottus duabus aut tribus lectionibus, ſed quas piget deſcribere.* Hæc Scriverius. Cui hæc reſpondet Buchnerus: *Quis poſſit putare* PEROTTUM *inter primùm renaſcentes litteras tam Latinè, tam tersè ac eleganter ſcribere potuiſſe? Suppoſuit ſibi profectò alienum fœtum, & quod ex ſe natum non erat, quaſi natum jactavit ab ſe, parandæ famæ. Quod artificium uſitatum erat ævô illo, cùm boni auctores nondum noti ſatis, & lectione tractati. Sic Leonhardus Aretinus Procopii Hiſtoriam Gothicam pro ſua edidit, ut Jovius auctor eſt: ſic Politianus, quæ Herodotus de Homerô Carminibus ſcripſerat, pro ſuis vendidit auditoribus, teſte Duarenô Epiſt. ad Franciſc. Balduin. fol.* 1107. *Operum. Ne de* PEROTTI *plagio dubitemus, perſuadebit Jovius, qui aliud ſimile factum in eo notat.* Quæ poſteriora Buchneri verba in ultima Theſauri Fabri editione MDC XCVI. col. m. 1712. D. omiſſa miror. Incidunt hìc Jani Parrhaſii verba, quæ ex Epiſt. XXXVII. p. m. 63. edit. Henr. Stephani MD LXVII. in 8t. adſcribo, cùm liber ſit rarus: *Sed dii meliorem mihi mentem, quàm ut animi perciti in-*

inſanias imiter, & alicui nationi convicium faciam, SIPONTINI *Narnenſes*, *& alios Italiæ Populos inceſſentis exemplô. Quantò præſtaret in excutiendis accuratiùs antiquorum ſcriptis, & non in effundenda publicè privatímque bile, bonas horas impendiſſe? nam toties a compitalitio quoque que litteratore in jus non vocaretur.* Paulus Jovius poſtquàm tranſlatum a Perotto Saxoferratenſi Polybium, ſive primos quinque libros, juſſu Nicolai v. Pontificis, litterarum amantiſſimi, dixerat, ejus in Elogio ſubjicit ſequentia: *Non defuêre tamen ex æmulis, qui ejus auctoris traductionem antiquiſſimam fuiſſe, furtóque ſurreptam exiſtimârint; quòd Thucydiden, Diodorum, Plutarchum, & Appianum, clariſſimô ingeniorum certamine converſos, unus Polybius egregiâ fide Latinus, æquabiliter & prædulci Romani ſermonis puritate prorſus antecedat.* Sed quid de hac Jovii ſententia habeat Henricus Stephani, diximus in parte x. noſtrarum Animadverſion. c. II. §. VIII. p. 197. ſ. Enimverò Iſ. Caſaubonus adfirmat e contrario in ad Polyb. præfatione, p. m. 71. edit. Amſtelod. 1670. in 8t. Perottum a fidelis interpretis laude tantum abeſſe, quantum qui longiſſimè. Antonio Borremanſio, c. IV. p. m. 30. Variar. Lection. libri, Amſtelæd. editi M DC LXXVI. in 8t. *Perotti, viri, ut iſta ferebant tempora, doctiſſimi, in Martialem Commentaria, pretiô non* videntur *haberi ſuô.* Ego nonnullis a recentioribus

ribus adeo vidi æſtimari, ut ea deſcribere, ſed non nominare voluerint.

LXI. Ex occaſione Jo. PITSEI adſcribam locum Dan. Georg. Morhofii e Diſſertationibus ejus, n. x. Sect. XII. p. m. 286. editis Hamb. MDCXCIX. in 4to. *Id in more poſitum eſſe video Scriptoribus Pontificiis, ut hominum ſuorum ſcripta Chemica vel diſſimulent, vel pro ſuppoſitis habeant, cum tamen ſcripta ab illis fuiſſe longè ſit certiſſimum. Id & in* Villanovani *& in Lullii operibus recenſendis factum ab illis eſt; ac* Villanovani *opera omnia, quæ uno volumine edita ſunt, diſertis verbis Chemica, ceu ficta & ſpuria excludunt. Idem in nonnullis Scriptoribus Anglis fecit* Centuriarum Balei *compilator* Pitſæus. *Ubi enim ille vel e Lelandi monumentis, vel antiqua traditione Operum Chemicorum a Viris illuſtribus conſcriptorum mentionem facit, pertinaci ſilentiô plagiarius Piiſæus omnia abſcondit, ne ulla ejus rei memoria relinquatur. Quod fortè ob contemptum artis χρυσοποιητικῆς factum eſt: ne ſcilicet in re, Pontificum decretis improbata, vel ſe indigna, operam poſuiſſe viderentur.* Hæc Alchemiæ ſtudiô tractus Morhofius, cujus quantum ipſi præmium fuerit, & númne fecerit quamplurimum gnatis, dicere non habeo. Burtonus in Græcæ Linguæ Hiſtoria p. 55. apud eumdem Morhofium, 1. Polyhiſtoris, c. XVIII. p. m. 207. *impudentem plagiarium* Pitſeum nominat. Vide quæ adtulimus ad Boſii In-

Introduction. in Notitiam Scriptor. Eccleſiaſtic. c. v. n. IX. p. 460. a. b. Tom. III. Methodor. qui de Eruditione Comparanda inſcribitur, lege autem ibi PITSEUM pro PISTEUM, quod mendum incorrectum manſit.

LXII. Samuel Tennulius in notis in Jamblichi verba lib. IV. in Nicomachi Arithmetic. p. m. 4. Εἰ γὰρ διὰ πάντα ταῦτα προκρίνομεν τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὡς ἀριθμητικώτατον, εἰκότως δὴ διὰ τοῦτο καὶ τίθεμεν, ὅλην αὐτοῦ τὴν ἀριθμητικὴν τέχνην, οὐχ ἡγούμενοι δεῖν, οὔτε ἀτελῶς αὐτὴν ἐκφέρειν, ἀκρωτηριάσαντας αὐτῆς τὰ προηγούμενα, οὔτε μεταγράφειν. περιττὸν γὰρ καὶ τοῦτο. οὔτε σφετερίζεσθαι τὰ γεγραμμένα. Ἀγνωμοσύνης γὰρ ἐσχάτης ἔργον, ἀφαιρεῖσθαι τῆς ἐπιβαλλούσης δόξης τὸν συγγεγραφότα: i. e. *Si enim prajudicamus per hac omnia Nicomachum eſſe ſummum Arithmeticum, ſequitur, ut ponamus certam omnem ejus arithmeticam; illam exiſtimantes neque imperfecte eſſe efferendam, dum ex illa pracipua amputamus, neque tranſcribendam. Supervacaneum enim & hoc. Neque ab aliis ſcripta vindicanda nobis: quia maxima inquitatis opus eſt, auferre Scriptori gloriam, qua ad illum pertineat*: In hæc, inquam, Jamblichi verba, & quidem ad verbum μεταγράφειν, p. m. 76. a. edit. Arnhem. CIↃ IↃC LXVIII. in 4to, obſervat: *Hujus criminis ſe male damnari paſſim Terentius queritur in Prologis.* Et mox Σφετερίζεσθαι τὰ γεγραμμένα *eſt, qua alter compoſuit & commentatus eſt; eorum ſe jactare auctorem,*

ctorem, jus ſibi aſſumere, & poſſeſſionem invadere; ſic Argivi a Xenophonte dicuntur Κόρινθον σφετεριζόμενοι. *Alienis laboribus atque ſcriptis & nunc & olim celebris eſſe ſtuduit ambitio, cujus exemplum eſt in illo nobiliſſimo Virgilii verſu* (in Lexico Fabri-Buchn. Cellar. Voc. *Spectaculum* ſub *Species* col. m. 2433. adducuntur Virgilii Catalecta falsò, nam in mea Catalectorum editione Antverpienſi MDLXXV. in fol. cui Joſ. Scaligeri notæ additæ, jam citandum Virgilii verſum non inveni) Nocte pluit totâ: *Ipſe quin etiam* PLATO *a culpa hujus ſuſpicione non fuit liber. Ejus etenim ille accuſatur a Timone apud* Jamblichum in Nicomachi Arithmeticam p. m. 148. Ἀπὸ Τιμαίου ἐφοδιασθέντα Πλάτωνα, τὸ διὰ τοῦτο φερώνυμον Τίμαιον συντάξαι λέγουσιν ὧν ἐστιν, καὶ ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας Τίμων, λέγων οὕτως. πολλῶν δ᾽ ἀργυρείων ὀλίγην ἠλλάξατο βίβλον ἔνθεν ἀφορμηθεὶς τιμαιογραφεῖν ἐπεχείρει. i. e. A Timæo PLATONEM inſtitutum, propterea verè ſuo nomini reſpondentem Timæum ordinâſſe dicunt, inter quos eſt Timon, qui compoſuit irriſorium poëma Σίλλους vocatum, ita loquens: Multarum pulcherrimarum rerum pretiô parvum librum emit conatus Timæum in ſcribendo affectari. (Tu vide b. Jacob Thomaſium de Plagio, §. 522. ſ. p. m. 232. ſ.) *Hos* ἀλαζόνας, *aliena ſubjicientes, fabula comparat cum vanitate graculi ſeſe exornantis plumis pavoni decidentibus, deinde iiſdem ere-*

ereptis deriſi à ſuo grege per contumelioſam calamitatem. Gellius, III. c. XVII. *Timon amarulentus librum maledicentiſſimum conſcripſit, qui σίλλος inſcribitur. In eo libro* PLATONEM, *Philoſophum, quem dixeramus tenui admodum pecuniâ familiari fuiſſe, contumelioſè appellat, quòd impenſô preciô librum Pythagoricæ diſciplinæ emiſſet, exque eo Timæum nobilem illum dialogum concinnâſſet.* Aliter Laërtius lib. III. c. IX. Λέγουσι δέ τινες, (ὧν ἐστι καὶ Σάτυρος) ὅτι Δίωνι ἐπέστειλεν εἰς Σικελίαν, ὠνήσασθαι τρία βιβλία Πυθαγορικὰ παρὰ Φιλολάου μνῶν ἑκατόν. i. e. *Ajunt quidam, ex quibus Satyrus eſt, Dioni* Platonem *ſcripſiſſe in Siciliam, uti tres libros Pythagoricos ſibi emeret a Philolao centum minis.* Aliter lib. VIII. c. LXXXV. de Philolao: Γέγραφε δὲ βιβλίον ἕν, ὅ φησιν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων, Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον παραγενόμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον ὠνήσασθαι παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου, ἀργυρίου Ἀλεξανδρινῶν μνῶν μ΄. Καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν Τίμαιον. ἕτεροι δὲ λέγουσι τὸν Πλάτωνα λαβεῖν αὐτὰ παρὰ Διονυσίου, παραιτησάμενον ἐκ τῆς φυλακῆς νεανίσκον, ἀπηγμένον τῶν τοῦ Φιλολάου μαθητῶν. i. e. *Scripſit autem librum unum, cum autem, ut Hermippus quempiam ſcriptorem dixiſſe refert,* PLATONEM *Philoſophum, cùm in Siciliam ad Dionyſium profectus eſſet, emiſſe a Philolai conſanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta, atque inde tranſcripſiſſe Timæum. Alii* PLATONEM *dicunt, hæc a Dionyſio accepiſſe, cùm*

eum exoráſſet, ut adoleſcentem ex Philolai diſcipulis in carcerem abductum, dimitteret. Gellius locô laudatô tres Philolai libros decem millibus denariûm mercatum PLATONEM ſcribit. Petri Cunæi, p. m. 10. extr. animadverſion. in Nonni Dionyſiaca edit. Lugdun. MDCX. in 8t. hæc de Platone ſententia eſt: PLATO *etſi* ἀτλικίζειν *mavult, Homerum tamen diſſimulare non poteſt; libenter enim illius verbis* ἠϛείσαλο, *etiam illic, ubi Rempubl. ſuam format, ex qua tamen eum ejicit; in quinto enim Politicorum manifeſtè* παρῳδεῖ, *& in aliis ſæpe.* Cenſente Barthiô in p. m. 257. b. notarum in *Zachariæ* Scholaſtici Epiſcopi Mitylenes, de Opificio Mundi, Dialogum, edit. Lipſienſ. MDCLV. in 4to, *Pythagoræ dogmata pleraque tranſtuliſſe in ſua ſcripta & ſermonis politie commendâſſe* PLATONEM, *atque explicâſſe, nemo neſcire debet.* Fuit omnino PLATO *ſtudioſiſſimus Pythagoræ*, ut Boëthius loquitur.

LXIII. Antonium POSSEVINUM a. b. D. Elia Veielio, magnô Religionis & Eccleſiæ noſtræ damnô nobis erepto, arceſſi plagii, in X. noſtrarum Animadverſionum parte, c. II. §. VIII. p. 199. monuimus. Juvat b. D. Dorſcheus in c. v. Myſar. Miſſæ, §. 72. p. m. 161. edit. Argentor. MDCXLIV. in 4to ſcribens: *E Gvil. Eiſengrinio Pontificio, Poſſevino optimô,* Poſſevinus *multa in Apparatum ſuum ſacrum tranſtulit.* Vide quæ Diſſ. I. § LXXXVII. diximus.

LXIV.

LXIV. Primaſium Uticenſem Epiſcopum, ſeculô quintô florentem, Ticonii, ſive Tichonii Afri viventis ſub Theodoſio & filiis ejus imperantibus annô Domini cccxc. Expoſitionem Apocalypſis majori ex parte in Explanationes myſticas a ſe in Apocalypſin editas transfudiſſe, ſicut ipſum non negantem invenimus, ita & plagiariorum illum numerô eximinus. *Librum Apocalypſis*, inquit, *multis opertum myſteriis, cum DEI adjutorio, exiguis licet præditus viribus, exponendum ſuſcepi: non meis tantùm contentus inventis, ſed ſi qua reperi a S. Auguſtino ejus libri teſtimonia alibi explicata, indubitanter adjunxi. Quin etiam a Ticonio Donatiſta ea, quæ ſano congruebant ſenſui, defloravi, & ex eis, quæ eligenda fuerant, exundantia reprimens, importuna reſecans, & impolita componens, Catholicô moderamine temperavi. Sicut autem pretioſa in ſtercore gemma, a prudente viro reperta, & colligi, & ingenuæ dignitati ſuæ reſtitui debet; ita undecunque veritas elucescit, Catholicæ deferenda eſt unitati, huic enim ſoli competit, quidquid Veritas, etiam foris, perſônârit.* Vide b. Mich. Waltheri (cujus labor in veræ religionis negotiis caſtè verſatus eſt & integrè, remotus a miſtura Calixtina) c. xiii. p. m. 194. ſ. Præcognitor. Apocalyptic. Norimb. editor. m dc xlvii. in 4to, Sixti Senenſis lib. iv. Biblioth. ſanctæ p. m. 293. a. 307. b. edit. Pariſ. m dc x. in fol.

LXV.

LXV. PROCOPIUM non pauca Baſilii in compendium redacta in Commentarios ſuos convectâſſe, notat Thomas Gatakerus Londinas, c. XL. Adverſarior. p. m. 400. edit. Londin. 1659. in fol.

LXVI. Matthæus RADERUS Jeſuita *iſthæc omnia ſublegerat Tiraquello de Nobilitate, 37. 154. p. 272. ne Typographicis quidem mendis exſcribendis abſtinens manum*, ait Jo. Freinshemius in Indice in Curtium, Voc. *Domeſticus*.

LXVII. Petrus RAMUS *ut pleraque alia, ubi inſultat antiquis, ex Vive hauſit: ita hac etiam in re*, de Charactere dicendi, *ejuſdem veſtigiis inſiſtit*, judice Gerardô Joan. Voſſiô part. II. lib. VI. Commentarior. Rhetoricor. c. I. p. m. 430. *Quàm multa*, inquit Georgius Hornius, lib. VI. Hiſtoriæ Philoſophicæ, c. XI. p. m. 320. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LV. in 4to, *ex* Valla *mutuatus ſit* Ramus, Jacobus Carpentarius *ipſi* Ramo *demonſtravit. Addunt alii ex* Rodolpho *Agricola magnam inventionis partem deſumſiſſe. Quæ ut negari omnino non poſſunt, certum tamen eſt eos Ramo potiùs occaſionem meliùs de rebus illis cogitandi, quam ipſas res dediſſe. At cùm de Ludovico Vive agitur*, inquit Keckermannus, *iſta excuſatio loci nihil habitura eſt: illi enim generalia omnia & pleraque particularia, quæ Ramus tanta cum pompa Philoſophis Italis, Gallis, Germanis tanquàm ſua inventa proponit, totidem verbis reperias in Ludovici Vivis Commen-*

 tariis,

tariis, quos de cauſis corruptarum artium & de tradendis diſciplinis multò, antè quàm Rami quicquam in publico appareret, evulgavit. P. autem Ramus *homo dexterrimi ingenii, ſolidæ doctrinæ & liberrimi judicii, cùm quoquo modô ad famam etiam pro* (f. *per*) *alienæ exiſtimationis ruinam ſibi contendendum putaret, ex omnibus antiquis Ariſtotelem exagitandum atque explodendum ſibi ſumſit, adeoque ea, quæ ex Valla & Vive hauſerat, velut interpolata in lucem emiſit.* Obiter addo, habere me Rodolphi Agricolæ Phriſii de Inventione Dialectica Libros tres cum ſcholiis Joannis Matthæi Phriſſemii editos Pariſiis CIↃ IↃ XXXVIII. in 4to, de quibus hæc Eraſmus, lib. II. Eccleſiaſtæ, c. XI. p. m. 372. editi Baſileæ MDXLIV. in 8t. *De Locis accuratiſſimè noſtrô ſeculô ſcripſit vir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola. Scripſit autem exactiſſimâ curâ, phraſi verò qua nihil eſſe poteſt expolitius, ſed acumina quædam affectata, veluti de prima materia, ac digreſſiones, quibus nunc à Boetio, nunc ab Ariſtotele, nunc ab aliis magnâ quidem ſubtilitate diſſentit, ſatis declarant illum hoc opus non cudiſſe pueris ediſcendum, ſed eruditis viris admirandum.* Quæ hic examinare locus non eſt.

LXVIII. RAPHAEL CUMANUS ſive COMENSIS, & RAPHAEL FULGOSIUS Placentinus, fuerunt auditores Chriſtophori Caſtellionei Mediolanenſis JCti, acri ingeniô præditi,

diti, dicuntur Præceptoris ſcripta furtô ſubtracta inter ſe diviſiſſe, & ſub ſuis nominibus publicâſſe; verène hoc ipſis, an falsò objiciatur, in incerto eſt Valentino Förſtero, lib. III. Hiſtoriæ Juris Civilis Rom. c. XXXII. §. 1. p. 517.

LXIX. Cùm Reineri REINECCII, Methodus Hiſtoriar. edita ſit A. CIƆ IƆ LXXXIII. exiſtimat Bartholom. Keckermannus, Tom. II. Operum, lib. de Natura & Proprietatib. Hiſtoriæ, c. VI. col. m. 1345. extr. *hunc autorem adjutum eſſe operâ magni illius Peuceri, qui in Tabula præfixa recentibus editionibus Chronici Philippi, planè eâdem ſerie Politias totius orbis diſponit.* Et col. 1350. *Melior eſt diſtinctio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſecundùm tempora certa, quam diſtinctionem Reineccius laudat, & Peucero acceptam expreſsè fert.*

LXX. Antonius RICCIARDUS Brixianus, Tomo I. Commentariorum Symbolicorum Litterâ A, verſu, *Alphabetum*, per multos numeros, exſcribit Goropium Becanum, qui tum in Hermathenæ lib. IX. tum in Hieroglyphicis ingeniosè multa commentatur circa Alphabetum, auctore Maximiliano Sandæô Jeſuitâ, Commentatione I. Pædiæ Academici Chriſtiani, p. m. 52. editæ Colon. M DC XXXVIII. in 8t. Opera Joan. Goropii Becani Antverpiæ CIƆ IƆ LXXX. edita in fol. venerunt ad me ex Eduardi van Zurck auctoris abne-

potis Bibliotheca, qui multa meo libro de poſteris Goropii præfixit.

LXXI. De Ludovico Richeomo, prius dicto Richelmio, Lojolita, quem quidam Ciceronem Gallicanum vocant, agam, ſi Deus volet, in quadam Animadverſionum parte, ubi aliquot perſonatos Scriptores ſuis nominibus reſtituam in xvii. enim, licèt recepe-rim, fieri non potuit.

LXXII. Nicolaum Rigaltium Scaligeri Caſtigationibus Propertianis & in Catalect. Virgil. Comm. uſum eſſe, ſed auctore diſſimulatô, teſtatur Tanaquillus Faber in ad Phædri iii. Fab. vi. notis, c. iii. p. m. 205. editis Salmurii m dc lxxiii. in 12.

LXXiii. Rufi *error eò ignoſcendus, quòd hìc quoque, ut ſæpe alibi, Florum κατὰ πόδα ſit ſecutus*, ſcribit Gerardus Voſſius in notis in Vellej. c. cii. p. m. 107. Breviarium Sexti Rufi, ſive, Rufi Feſti de Victoriis ac Provinciis Populi Romani a ſe Cizæ m dclxxviii. & xciix. in 8t. editum, ipſe nobis olim muneri miſit, qui nuper magnô doctorum omnium, bonorum & elegantiorum Studioſorum mœrore Halæ exceſſit e vita, vir optimus & de litteris optimè meritus, amicus Noſter Chriſtoph. Cellarius Smalcaldienſis. Jacobus Bedrotus Pludentinus Floro a ſe Coloniæ curato, annô cIↃ IↃ lvii. in 8t. non modò dictum Sexti Rufi Viri Conſularis ad Valentinianum Augu-ſtum

ſtum de Hiſtoria Romanorum, ſed & Meſſalæ Corvini Oratoris diſertiſſimi de Progenie Auguſti Cæſaris libellum, addidit. Cujus & ſecunda prodiit editio ibidem MDLXXI. in 8r. priore tamen, cum à litterarum & chartæ diſceſſeris nitore, nihil locupletior.

LXXIV. RUSBEMBACHIUM Joh. Buxtorfii plagiarium vocat Claudius Cappellanus, Doct. & Socius Sorbonicus, part. II. c. VIII. p. m. 393. Maris Rabbinici infidi, inſerti n. XLV. Faſciculo X. Opuſculor. Rotterod. MDCC. edito in 8r. *qui*, Rusbembachius, *in librô, cujus titulus eſt, Moſes omniſcius, tacitô* Buxtorfii *nomine, ab eo ipſa etiam verba deſumpſit.*

LXXV. RUTILIUS, Numatianus Gallus ipſa Claudiani verba non uno locô exprimit, Paganus Pagani, dicit Barthius in Animadverſionib. ad Claudian. I. in Rufin. v. 21. p. m. 1091. a.

LXXVI. SALLUSTIUM M. Catonis & Thucydidis Attici perſtudioſum fuiſſe, ſimilis forma orationis preſſæ & conciſæ & ſapientiſſimis ſententiis ſtipatæ, & multa ex Thucydide dicta ad verbum converſa oſtendunt. David Chytræus in Chronologia Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis, p. m. 55. edita Roſtochii MDLXXVIII. in 8r.

LXXVII. E Philippo Cluverio, lib. II. Siciliæ c. XI. Cl. SALMASIUS omnia, quæ de

hoc fonte ac lacu Agrigentino diſputat, in Solinianam Exercitationem, p. 128. tranſtulit, ejus, ut ſolet, ſuppreſsô nomine, unde iſta corraſerat. Dionyſ. Petavius, Appendice alterâ Animadverſionum in Epiphanium, c. IV. extr. p. m. 40. edit. Colon. M DC LXXXII. in fol.

LXXVIII. Marinus SANUTUS Burchardum ferè deſcripſit. Iſ. Caſaubon. Exercitat. II. ad Baron. Sect. I. p. m. 164. edit. opt. Londin. CIↃ IↃC XIV. in fol.

LXXIX. Ex libro Juchaſin (inde enim hauſit, etſi diſſimulaverit) Abrahami Zacuti notavit Joſephus SCALIGER in Canon. Iſagog. lib. II. p. 139. *Maimonem*, (at in Scaligero eſt Mamon) *ſcientiarum doctorúmque hominum fuiſſe ſtudioſum: multos etiam libros ejus ætate ex Græco ſermone in Arabicum converſos eſſe.* Herman. Conring. Diſſert. I. de Antiquitatib. Academic. p. m. 32. & 193. edit. Helmeſtad. CIↃ IↃC LXXIV. in 4to.

LXXX. JUL. CÆS. SCALIGERUM Operis Poëtici materiam volunt ex Italia trans Alpes tuliſſe Cœlio Rhodigino debitam, ſanè eruditiſſimo viro, gulæ tamen melioris quàm ſtomachi. Tradente ejus filii amicorum vel præcipuô Florente Chriſtianô ad Ariſtophanis Comœdias. Vide Barthii Animadverſion. ad Claudiani Epigrammata, p. 972. b. extr. 973. a.

LXXXI. Chriſtophor. SCHEIBLERUM Lutheranum (ne neſciremus) in ſuis Metaphyſicis multa Svarecio debere, eò Mareſius in Theologo Paradoxo p. m. 60. edito Gröningæ 1658. in 4to adducit, ut confirmet ſuam querelam, Voetium ut & Scheiblerum *malle ſæpiùs ex Scholaſticorum lacunis haurire, quàm ex fontibus limpidis Scripturæ & rationis.* Habemus igitur, quòd fauſtum & felix ſit, duos limpidos, e quibus Theologi haurire debent, fontes, Scripturam & rationem: at quando Reformatis objicitur a Noſtratibus, quòd dogmata ſua Rationi ſubſternant, calumniarum metum nobis injiciunt. Enimverò Jacobus Revius Svarezium Repurgatum nobis dedit, hìc editum CIƆ IƆCXLIII. in 4to, e cujus præfatione & libro, quantum Svarezio detulerit, legi poteſt. Mihi verò nemo perſvadebit, Mareſium hoc a ſe habuiſſe, ipſúmque legiſſe Scheiblerum, cùm ne nomen Scriptoris ipſi notum fuerit, quippe quem ter, p. 60. bis, p. 69. iterum, *Screiblerum* nominat.

LXXXII. De Caſp. SCIOPPIO lego in Oberti GifanI Obſervationib. Singularib. in Linguam Latinam, p. m. 127. princip. editis Francof. annô MDCXXIV. in 8t. iſta, forſan a Philippo Pareo, quo de alibi cum DEO dicam, addita: *Vide de* Lautiis *Gaſparis Scioppii Theſes de Injuriis: itémque Suſpectas Lectiones* ejuſ-

ejuſdem, ubi videbis hôc tibicine Giſaniô ſonitum edere illum Auletam.

LXXXIII. Abraham Scultetus Theodorum Bezam fermè tranſcripſit: notante Gatakerô, c. xxix. Adverſarior. princip. p. m. 299. Quòd in concionibus ſuis, quibus Chriſti Paſſionem exponit, Chriſtophor. Fiſcheri noſtri Smalcaldienſis olim Paſtoris laboribus uſus fuerit, puto me alibi quoque indicâſſe.

LXXXIV. E Polybio integras ſententias Senecam Philoſophum ſolitum fuiſſe convertere, & a paucis id obſervatum eſſe, advertit Martinus Schoockius de Majeſtate, §. xli. p. m. 54. edit. Gröning. 1659. in 4to.

LXXXV. Quam ſæpe & quomodo nulla Franciſci Junii mentione factâ hujus verba ſua faciat Caſpar. Sibelius, oſtendit b. D. Samuel Pomarius, quem vivum amavi, mortuum colo, in Commentario in Epiſtolam Judæ p. m. 149. 281. extr. 287. 412. 417. Quomodò Marloratum, habet p. 138. 170.

LXXXVI. Sigebertus in Chronico Proſperi Chronicon, quod magno Pithœo debemus, verum, neque ſuppoſititium Proſperi partum, pene omne tranſcripſit, paucis immutatis. Joan. Savaro Claromontenſis in notis ad Sidonii Carm. vii. v. 240. p. m. 88. edit. Pariſ. m dc ix. in 4to.

LXXXVII. Simeon Dunelmensis (quo de

de vide Ger. Jo. Voſſium, II. de Hiſtoric. Latin. c. LI. extr. p. m. 417. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LI. in 4to.) *non levi plagiô, paucis immutatis, quibus dolus facilè detectus pateret, Turgoti Dunelmenſis, Angli* (Poſſevino *Scoti*) *Chronica Dunelmenſia ſibi tribuit; edidítque illam Hiſtoriam Dunelmenſem ab anno* IↃC XXXV. (ita enim eſt in Voſſio, lib. II. de Hiſtoric. Latin. c. XLVIII. p. 397. non IↃ XXXV. ut malè Voſſii locum repræſentat, fortè vitiô Typographi, Chriſtoph. Sandius locô mox citandô) *uſque ad annum* CIↃ XCVI. *præfixô Simeonis nomine, Rogerius Twyſden*, apud Sandium in Animadverſionib. in Voſſii libros de Hiſtoricis Latin. p. m. 108. & 109. editis. Amſtelod. CIↃ IↃC LXXVII. in 12.

LXXXVIII. SPEIDELIUS multa deſcribit e Theod. Reinkingii lib. de Regimine Secul. notante Bœclerô in Notitia Imperii, lib. IV. c. I. p. m. 86. edita Argentorati MDC LXXXI. in 8t.

LXXXIX. Proſper STELLARTIUS in de Tonſuris & Coronis libris a Lipſio, in Syntagmate de Veſta & Veſtalibus, aliqua deſcripſit, notante Henr. Kippingiô, '. Antiquitat. Romanar. c. XII. §. IV. p. m. 291. edit. Bremenſ. MDCLXIV. in 8t.

XC. Robert. STEPHANUM, Paulum Fagium, vernaculè Buchlein, Tabernis Rhenanis, oppidô Palatinatus, non procul à Bret-

ta, vulgò Rhein-Zabern, oriundum, Iſtæ primùm Moderatorem Scholæ, deinde Paſtorem Argentoratenſis Eccleſiæ, ac tandem in Academia Cantabrigienſi Profeſſorem Hebrææ Linguæ, ad cujus pleniorem cognitionem adipiſcendam uſus operâ Judæi Veneti, Eliæ Levitæ, eſt, qui Fagium *doctiſſimum Hebræum* vocat, ſtudioſiſſimum, *ad verbum tacitô nomine deſcripſiſſe*, perhibet b. D. noſter Dorſcheus, part. I. Vindiciar. ad Bellarmini factas ex Exodo allegationes, diſſertat. II. ad c. I. §. 4. extr. p. m. 27. Fagii *vitulâ in Pentateucho ſæpiſſimè ârârunt Jeſuitæ. Fagii ſententiam ſequitur* Rob. Stephanus in notis biblic. *& iiſdem cum Fagio verbis exprimit*; idem ibidem Dorſcheus ſcribit, p. 26. §. 9. edit. Francofurt. MDCLIX. in 4to, ubi & Fagium diverſis ex auctoribus laudatum reperies.

XCI. STEPHANUM de Urbibus multa è Marciano, Patriâ Heracleota, habere, obſervat Georg. Andreas im Hoff, Patricius Noribergenſis in Politico Græco, p. m. 120. edito Noribergæ MDCLVIII. in 12. Nec diſſimulat Marcianum ſæpe citans Stephanus. Scripſit περιήγησιν locorum, Carmine jambicô, nec non pedeſtri Oratione tres libros Περίπλων, in quibus XI. Geographiæ libros Artemidori Epheſii in Epitomen redegit, ut ipſe, in principio libri primi Peripli, dicit.

In

In eis varii continentur Peripli, quorum aliquos advocat Stephanus, & ex eo Joſias Simlerus in Bibliotheca Conr. Geſneri aucta, p. m. 479. a. edita Tiguri MDLXXIV. in fol. Utrumque Marciani opus Græcè primus in lucem edidit David Hoeſchelius; unde non mirum, Conr. Geſnerum fol. m. 492. a Bibliothecæ Tiguri editæ MDXLV. in fol. ſcribere: *Marciani viri docti meminit Suidas* (vellem locum edidiſſet. nam in indicibus rerum & nominum propriorum, item Auctorum a Suida laudatorum, editioni Suidæ noviſſimæ Cantabrigienſi MDCCV. adjectis, nomen Marciani reperire nequivi) *ſed nihil quod ſcripſerit, commemorat*. Memoratur ſolo nomine MARCIANUS in p. m. 35. Synopſis Veterum Mathematicorum, quam Edwardus Bernardus conlegit, edit. Londini. MDCCIV. in 8t. In Ger. Joan. Voſſio, nulla, quod ſciam, Marciani memoria eſt.

XCII. Joh. Nicol. STRELOVIUM, Paſtorem & Superintend. Gotlandicum Chronici ſui Gutlandorum Danicè MDCXXXI. editi partem præcipuam, ex Originibus Cimbrorum & Gothorum ſatis fabuloſis, Lipſiæ MDCXCV. in 8t. excuſis M. Nicolai Petræi Præpoſiti in Mona Inſula, non nominatô auctore deſcripſiſſe, ac Danicâ ſaltem veſte donaſſe, Bibliopola, qui iſtas e latebris protraxit, in Præfatione indicavit; auctore Joh. Mollero

Flensburgenſi, eruditionis accuratæ viro, in Hypomnemat. ad librum Alberti Bartholini de ſcriptis Danorum p. m. 293. editis Hamb. M DC XCIX. in 8t.

XCIII. Godeſcalcus STEWECHIUS, Comment. in lib. II. c. XII. ſ. Vegetii pleraque transſcripſit e Lipſii lib. IV. Dialog. III. de Milit. & ad XV. Annal. Taciti Comment. nonnullis tamen de ſuo additis. Chriſtoph. Adam Rupertus in Salluſtio Notis illuſtrato, p. m. 292.

XCIV. De SUIDA adpono verba Antonii Contii ad c. XIV. Chronologiæ Nicephori Conſtantinopolitani, repetita D. Chriſtiano Kortholt. c. XII. Tractatus de Canone Scripturæ ſacræ, §. XXII. extr. p. m. 225. extr. editi Roſtochii M DC LXV. in 4to: *Poſſem & alia hujuſmodi multa ſuperaddere Synoptica Chronica, & inter Græcorum* SUIDÆ. *Sed quid erit pretii, cùm &* SUIDAS *æquè ſit depravatus, & ex Nicephoro ad verbum videatur exſcripſiſſe uſque ad Michaelem, ſequentia verò vel ex ſe, vel ex aliis recentioribus addidiſſe.* Hac de §. ſequentia ſcripſit ad me vir eximius Joh. Gottlieb Krauſe Id. Mart. CIƆ IƆCC IX. Lipſiâ: *Hæſi circa verba Contii de Chronico Suidæ Synoptico, præſertim cum Notas illas ad Nicephori Chronologiam nuſquam mihi hic invenire liceret. Docebis itaque, niſi grave fuerit, de Chronico illo Suidæ luculentiùs.* Cui eô die, quo ejus accepi litte-

ras, hæc reſcripſi: *Quæ de Suida Chronico adduxi, debeo, uti palam eſt Chriſtiano Kortholtio, quare ego non conveniendus. In utraque Diſſertatione ut declinarem, quam ne ſic quidem effugi, invidiam, non noſtras ſed aliorum habes ſententias, quod & in principio* 1. *Diſſertationis p.* 17. *monui ubi tamen malè legitur*, quarum *in* (*pro* de) pretio & auctoritate diſputare non eſt animus. *Ipſum Suidæ Chronicon non habeo, nec Contii notas in Nicephori Chronographiam Compendiariam; eam interprete Contio cum Goari Notis Georgii Syncelli Chronographiæ ſubjectam annò* CIↃ IↃC LII. *prodiiſſe ſcio. Ceterùm Diſſertationes iſtæ noſtra tantâ typothetarum & correctorum negligentiâ exiêrunt, illas ut vix in meis numerem.*

XCV. SUIDAM in ſuperiore Diſſertatione, p. 135. n. CII. habui. Jam ex Hadriani Junii Epiſtol. p. m. 74. addo ſequentia ad Arnoldum Birckmannum Typographum Colonienſem ſcripta: *De* SUIDA *ſic habeto. In eo autore me totum eſſe, ſed alium daturum quàm tibi addixerim, neque verò laborem me irritum poſiturum puto, & a liberalitate tua* ἐπίδοσιν τινα *impoſitô operi colophone ſpero. ſed cur tam tardus in eo ſim, quæres fortaſſe. certè ut ſemel in univerſum dicam, cùm ut nomini conſulerem meo, tum ut tuo honori, adde & optimis ſtudiis, perluſtrandos & legendos mihi autores plurimos ſuſcepi, e quibus ſua tranſſcripſit* SUIDAS, *nimirum Ariſtophanis interpretem, Harpocrationem, Sophoclis*

Commentat. Laërtium, Epigramm. Thucydidem, & Scholiaſten, Athenæum, Appianum, Joſephum, Polybium, Philoponum, Philoſtratum, Agathiam, Dionyſium Areopagitam, alioſque plures, quorum nomina adſcribam ubique, ut fidem meam probem, adſcriptô etiam locô libróque, unde quidque deprompſerit; adjiciam & in fine variam lectionem & caſtigationes locorum infinitas, quas collatione librorum deprehendi paſſim operâ laborioſâ. Vix credas, quot errorum, mendarum ἀπρεότητες *iſti corpori inſideant, ut Æthiopem citiùs candefaciàs, quàm nitori ſuo hunc reſtituas, quod paucis oſtendere exemplis hìc licet, Pro* διὰ κῦμα *legendo* διάκαυμα: *pro* ἄγαν☉ ἀέννα☉: *pro* διαλέκτῳ, δέλτῳ: *pro* μικρὰ, μικτὰ: *pro* χολὴ, χολὴ: *pro* συντόμως, συντόνως: *pro* πρείανδρ☉, τέρπανδρ☉, *pro* τραγικοὶ, στραταγοὶ: *pro* πίνακι, κλίμακι: *pro* ὡρισάμενοι, ὠνησάμενοι: *pro* ξὺν, ξύων: *pro* μυρίους, δέκα: *pro* λαβεῖν, μαθεῖν: *pro* πράγματα, τέρματα: *pro* ὄλην, ὀλκὴν: *pro* ψυχὴ δ᾽ ἀπὸ νίκης, ψυχὴν δ᾽ αὖ ἥκειν: *pro* πέσωμεν, παίσωμεν: *pro* ληφθὲν, λεχθὲν: *pro* ἀθηναίοις, θηβαίοις: *pro* ἄριστ☉, ἀριστοφάνης: *pro* ὄφιν, ὄρνιν: *pro* πόντῳ, ποταμῷ: *pro* μέρ☉, μῆτερ: *pro* κυνὰς τὰς σιωπὰς, κύνας τὰς βοιωτίας: *pro* ὥριμον, ἥμερον: *pro* θεῶν, θέλειν: *pro* ἐπὶ πλεῖον, ἐπίπλουν: *pro* διόδους, διαδοχὰς: *pro* τύπτεσθαι, ταινιοῦσθαι: *pro* ἐκείνη, εἰρῆνε: *pro* σὺν ἄγει, ἐξάγαι: *pro* ὅμως, ὦμ☉. *Sed ſentio, me modum excedere in enumerandis iſtis, & indignitas rei huc me perpulit, meóque malo longius*

gius temporis impendium mihi conciliat, ſed oportet rei utiliſſimæ, & cum honore abſolvendæ τηλαυγὲς πρόσωπον, *ut cum Pindaro* (Ολ. ς. V. 4. 5.) *dicam, addere. Reſtat, ut conſilium tibi meum aperiam de editione. Tu apud te rem expendito, & primôquôque tempore certiorem me facito, quid cenſeas. Ego præter notas certas, aſteriſcos, obelos, quibus indicium faciam, quò ſpectet quidque, an ad Theologiam? an ad Medicinam? an ad Adagia? an ad Hiſtoriam? &c. judicavi utiliſſimum fore, ſi nomenclaturæ Regum, Scriptorum, Poëtarum, Theologorum, Hæreticorum, aliarúmque perſonarum, de quibus ediſſerit, ſeparatim a dictionibus, earúmque ſignificationibus, velut in Onomaſticon quoddam ſejungantur nam in illis multa & varia & locuples rerum cognitio eſt. Exempli gratiâ nomen Abaridis, Arbogaſtæ, Adæ, Agathoclis, Plotini, Photini, Ptolemai, Hippocratis, Hippolyti, Hippomanis, Hippomachi, &c. horum enim cognitio a vocabulis aliena eſt. Venio ad Plotinum, quem nunquam vidi, multò minus in illum quidquam mihi adnotatum eſt: Sed eum, ubi prodierit, cura, ut habeam. Sub ver ſtatui evolare Bruxellam ad Atrebatenſem, ut ſi bonâ ejus pace liceat, conferam cum Photio, ex quo videtur* SUIDAS *Eccleſiaſticorum Scriptorum & Chriſtianorum nomina tranſſcripſiſſe.* Hæc ob nuper MDCC V. Cantabrigiæ repetitam à Ludolpho Kuſtero Suidæ ſplendidam editionem addere hìc volui, ut ſcias, quid animi Hadr. Jun.

ſu-

ſuper editione Suidæ fuerit. Iſ. Caſaubono in p. m. 146. Comment. in Polybium, SUIDAS *diligentiſſimus vocum Polybianarum obſervator* eſt, etſi *non* ſemper *addit nomen auctoris, unde verba deſcripſit.* Pauca leguntur apud Scholiaſtem Ariſtophanis, quæ relata non ſint in hoc SUIDÆ Dictionario, *imò ſic ego judico*, ſcribit Phil. Jacobus Mauſſacus in Diſſertatione Critica, notis ejus ad Harpocrationis Dictionarium addita, p. m. 374. edit. Pariſ. MDCXIV. in 4to, *vel Scholiaſtem illum a Suida, vel Suidam ab Scholiaſte integras illas enarrationes deſcripſiſſe. Ita ut non parva hinc oriri poſſit quæſtio, an Suidas ab Scholiaſte, vel Scholiaſtes à Suida ſua mutuatus ſit? quam citò & expeditè ego diſſolverim, ſi quæ referuntur ab Scholiaſte in illa Pluti ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι, ſpuria non ſint aut illegitima, & non in textum Gloſſographi irrepſerint. Citatur illic Euſthatius* (f. *Euſtathius*) Ὀδυ. γ. *Atqui Euſthatius poſt Suidam vixit, ut jam ab omnibus Chronologis monitum eſt, ergo non Suidas ab Scholiaſte, ſed Scholiaſtes ab illo ſua deprompſit, cùm ſi, ut diximus, illa non irrepſerint e margine in textum enarratoris, poſt ipſum Euſthatium vixerit, quod profectò mirum videri debet; ex Gloſſographis enim, qui nobis in Poëtas ſuperſunt, poſt Apollonii Rhodii Gloſſatores. Lucillum Tarræum & Sophoclem, & Theonem (quos ex Scholiaſte Ariſtophanis ad Nubes v. βεκκεσέληνε in Apollonii Argonautica commentatos* eſſe

eſſe ſcimus) nulli exſtant tam antiquæ nec tam bonæ notæ. Verùm, ut nos quidem odoramur, illo loci apud Scholiaſtem Comici quædam ἀνεμιαῖα leguntur, ab inepto quodam Græculo adnotata, quæ nec in ipſa veteri Aldi editione inveniuntur. Conſule Suidam in his verbis Comici ἡ γλῶτία τῷ χήρυκι. In notis noſtris ſæpius animadvertimus & demonſtramus, quomodò integræ notæ, & integra ſcholia, ne mutatâ quidem ſyllabâ, & apud Suidam, & apud Scholiaſtem Comici legantur. Quo de, nos alibi, & forſan in opere noſtro de Veteribus Scholiaſtis agemus. Meminit quidem hoc de Mauſſaci loco etiam vir eruditione ſolidâ, multâ virtute & rarâ pietate clariſſimus, b. Jac. Thomaſius §. 550. ſ. p. m. 245. ſ. Diſſertat. de Plagio Literario, edit. 1692. in 4to: at nos integrum producere voluimus, non ignari, Mauſſacum rarò in Studentium Bibliothecis offendi. Ceterùm Euſtathius, Homeri & Dionyſii Periegetæ interpres, annis abhinc ferme ſeptingentis Manuele Comnenô imperante vixit, ut auctor eſt Nicetas Choniates. Si Barthium audimus in Animadverſionibus ad Claudiani lib. II. in Eutrop. v. 375. p. m. 1365. b. princ. edit. opt. Francof. MDCL. in 4to, *Eunapii verbis in horum temporum* (Eutropii) *particulis non illibenter utitur ille Rhapſodus* Suidas.

XCVI. Exſtat de Particulis Latinæ Locutionis libellus Horatii TURSELLINI, Romani,

ni, Jeſuitæ, editus Coloniæ MDCXXX. in 12. quo de ita Giſb. Voetius lib. II. c. IV. Bibliothecæ Studioſi Theologiæ p. m. 280. *Quo refer*, inquit, *popularis & cognati noſtri Godeſchalcki* (Godeſcalci) *Steuwechii* (Stewechii) *Heuſdani*, *utiliſſimum & laborioſum opus*, *de particulis Linguæ Latinæ*: (editum Coloniæ CIↃ IↃ LXXX. in 8t.) *quod an Horatius Turcellinus* (Turſellinus) *Jeſuita compilârit*, *judicent illi*, *qui utriuſque librum de Particulis legerunt. Sed hoc unum eſt ex arcanis ambitionis*, *ut omnia ad ſtudia neceſſaria aut utilia ſub nomine Lojolitico exſtent.* Sanè *diligentiſſimum particularum Latini ſermonis inveſtigatorem* Stewechium vocat b. noſter Thomas Bangius II. Obſervationum Philologic. p. m. 1180. edit. Havnienſ. MDCXL. in 8t. Joan. Wowerius, Cent. I. Ep. XXXVIII. p. m. 70. edit. Hamburg. CIↃ IↃC IX. (ſ. XX. ut exemplo meo adſcriptum, quod vir doctus olim habuit) *jubet*, Nicol. a Vechta *debere legere phraſes* Scori, (l. Schori) & Stewichii (l. Stewechii) *de particulis linguæ Lat.* Meum Stewechii exemplum Colon. MDCXVII. in 8t. editum uſurpavit olim Dan. Heinſius, qui inſcripſit τοῦ Εἰνσίου: aliis ex ejus Bibliotheca in meam receptis: ἐκ τῶν τοῦ Εἰνσίου.

XCVII. Quomodo Hieronymus VAIRLENIUS Sylvius, qui ſe jactitavit interpretem & Scholiaſten Ignatii, a Plantino Antverp. edi-

editi M D LXXII. Joan. Jacob. Grynæum in Monumentis Patrum Baſileæ CIↃ IↃ LXIX. in fol. ſequutus fuerit, legi poteſt in b. Dorſchei Myſaria Miſſæ, c. VII. §. 22. p. m. 249. ſ. Valer. Andreas Deſſelius JCtus, p. m. 389. Bibliothecæ Belgicæ, Lovanii editæ CIↃ IↃC XLIII. in 4to nominat hunc Hieronymum *Verlenium*, Duci-Silvium & ſcribit, Ignatii Epiſtolas cum ejus Scholiis typis Plantini in 8t. editas eſſe annô 1588. Forſan b. Dorſcheus hìc Vedelium ſequutus fuit, qui in Apologia pro Ignatio hujus Epiſtolis Genevæ M DC XXIII. in 4to editis præfixa, c. IV. p. m. 43. ut ego numeravi; hôc pactô habet: *Ignatii Epiſtolæ ſunt typis editæ annô* 1558. *Pariſiis per Morelium, item annô* 1569. *Baſileæ operâ Jacobi Grynæi*, annô 1566. Antverpiæ operâ Hieronymi Vairlenii Sylvii: *Latina etiam Verſio Auguſtæ Vindelicorum annô* 1529. *excuſa eſt.* Ut neſciam quomodo Vairlenium Grynæus antevertere potuerit illius verſionem retinens. Miror Vedelium non addidiſſe editionem Operum Dionyſii Areopagitæ a Joachimo Perionio Benedictino Cormoeriaceno converſorum Colonienſem M D LVII. in 8t. nam eis acceſſerunt Ignatii atque Polycarp. Epiſtolæ verâ pietate, ſolidáque doctrinâ refertæ.

XCVIII. Scribenti b. Chriſtiano Daumio Epiſt. CXX. p. m. 295. ad Thomam Reineſium, ſe Vegetium Renatum, Mulomedici-

næ,

næ, ſive Artis Veterinariæ auctorem, e Sambuci editione habere; ſequente reſcripſit ipſi Reineſius Epiſtolâ & paginâ: VEGETIUS *mendoſior eſt, & majori curâ indiget, prorſuſque dignus, qui poliatur.* Sambuci *editionem videre velim. Columella exſcriptor eſt, & ad eum exigendus.* Porrò hunc Vegetium eumdem eſſe Scriptorem, cujus de Re Militari libri v. habentur, putat Hermannus Comes Nevenarius Mulomedica annô MDXXVIII. edens, auctore Caſp. Sagittariô in Epiſtola de antiquo Statu Thuringiæ p. m. 6. Jenæ edita CIↃ IↃC LXXV. in 4to.

XCIX. Enumerans Andreas Laurentius, Regis Galliarum olim Conſiliarius & Medicus Ordinarius, Medicinæque in Montiſpelienſi Academia Profeſſor, lib. I. c. XIV. p. m. 37. Hiſtoriæ Anatomicæ Francof. editæ MDCXV. in 8t. Scriptores Anatomes: *Omnium,* inquit, *meô judiciô accuratiſſimè ſcripſit* Andreas VESALIUS, *nihilque eorum, quæ ad ſecandi peritiam, actiones partium & uſus, ſpectant, omiſiſſe creditur a quibuſdam: ſed damnatur a multis, quòd cùm omnia ferè ex Galeni libris tranſcripſerit, eum tamen, neſcio quô ambitionis ſtimulô aut contradicendi ſtudiô, laceſſere non deſierit. Jacobo Sylvio hæc prima debetur laus, quòd muſculorum & vaſorum omnium ſylvam ac confuſionem, in exquiſitum ordinem digeſſerit, & propriis nominibus deſignârit: ſed multa Typographi vitiô in*

ejus ſcriptis mutila & ſuperflua obſervo : Floruerunt eâdem ætate Veſalius *&* Sylvius. *Sed ille in calumniando nimis mordax, hic in Galeni doſtrina propugnanda nimis acer judicatus eſt. Multa ab illo contra Galenum temerè ſunt effutita: multa hic, dum Præceptorem Galenum tutatur, abſurda proferre cogitur.*

C. Gerard. Joan. Vossium, lib. I. de Hiſtoric. Græc. c. XVII. p. 110. *eadem ferè de Eratoſthenis Elegia, Gyraldi nomine diſſimulatô*, ſcribere, quæ Gyraldus Dial. III. de Poëtar. Hiſtoria col. m. 165. A. edit. Lugdun. M DC XCVI. in fol. *nollet* ibi in notis Paulus Colomeſius. Tu vide, confer & judica.

CI. De Waltono Philippus Labbe Bituricus, Jeſuita, part. II. Bibliothecæ Nummariæ, p. m. 78. 79. editæ hic Lugduni Batav. 1687. in 8t. hæc habet: *Jacob. Tirinus, Antverpianus, Societatis Jeſu Theologus, in Prolegomenis ad eruditiſſima Commentaria in ſacram ſcripturam agit inter cætera* I. *de Antiquis Hebræorum, Græcorum, Romanorum Ponderibus ac Monetis collatis cum modernis Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Belgarum &c.* II. *de Menſuris ſeu vaſis eorundem.* III. *de Menſuris longitudinum, &c. Antverpiæ annô* 1632. (ego Tirinum lego Antverp. editum M DC XLV. in fol.) *in folio tribus tomis apud Martium* (f. Martinum) *Nutium. Eadem obſervationes extant, tum in Apparatu* Briani Waltoni *ad Biblia ſua*

Po-

Polyglotta, *Londini annô* 1659. *pluribus tomis excuſa*, *tum in Bibliis*, *ſive quæ dicuntur Magna*, *quinque tomis majoribus Pariſiis*, *annô* 1644. *editis*, *ſive quæ Maxima Verſionum & Annotationum appellari placuit*, *in eadem urbe Pariſienſi publicatis*, *atque in Tomos* XIX. *diſtributis apud Dionyſium Bechet*, *Ludovicum Billaine*, *Antonium Bertier*, *& Simeonem Piget*, *an.* 1660. *neutrubi tamen præfixô ipſius Tirini nomine*, *quod ratio poſtulabat & ſumma æquitas.*

CII. *Superiore* (i. e. M DC LXXII.) *annô*, verba ſunt Dan. Georg. Morhofii in Diſſertationib. Academicis & Epiſtolic. n. x. Sect. I. extr. p. m. 249. WEBSTERUS *Autor Anglus patriâ Linguâ Metallographiam edidit*, *ſed è Germanis Scriptoribus*, *& quibuſdam ex eis*, *quos modò enarravimus*, *præcipuè congeſtam*, *cum paucis quibuſdam ſuis obſervatiunculis. Sed nec autores omnes ipſe novit*, *nec delectum ſatis accuratum inſtituit. Quamquàm laudari tamen Viri iſtius debeat diligentia*, *quâ collecta ſub certis capitibus habemus*, *quæ in autoribus ipſis non ſine tædio aliquo conquiruntur.*

CIII. Bartholomeus (ita enim ejus prænomen exhibet editio Baſileenſis M D XXVIII. in 8t. at Baſileenſis M D LXI. in 4to Barptolemæum habet, in utraque autem eſt Weſthemerus, non) WESTHAMMERUS *in Troporum Explicatione ita Lutheri exegeſin illam planè ſequitur*, *ut verba quoque ipſa non aliundè videatur ac-*

accepiſſe: ſcribit Georg. Vechnerus in Palo Pauli p.m. 183. edit. Leſnæ Polonor. 1644. in 4to. Quod autem Thomas Malvenda Setabitanus Ordinis Prædicatorum Tom. II. de Antichriſto, lib. IX. c. XXXII. extr. p. m. 134. b. edit. Lugdun. M DC XLVII. in fol. habet: *Bartholomæi Weſthameri Phraſes Scripturæ ſine nomine auctoris damnati edidit Vincentius Villavicentius*: in eo malè Villavicentium *Vincentium* nominat, cùm prænomen ejus *Laurentius* ſit. Phraſes iſtæ Scripturæ ſacræ omnibus, qui Scripturas ſacras publicè profitentur, vel privatim intelligere optant, vel ad populum côncionantur in Eccleſiis, admodùm utiles exiêrunt Antverp. 1571. Quomodo hic Frater Laurentius a Villavicentio (quem Joſias Simlerus Tigurinus p. m. 447. b. Bibliothecæ Geſnerianæ editæ Tiguri M D LXXIV. in fol. *Laurentium* a Villavincentio *Xereſanum*, *Doctorem Theologum Auguſtinianum eremitam* nominat, ſicut & Sixtus Senenſis, lib. IV. Bibliothecæ p. m. 272. b. editæ Pariſiis M DC X. in fol. illum *Laurentium* Villavincentium, *Hiſpanum*, *apud Burgenſes* (f. *Brugenſes*) *concionatorem*, *ordin. Eremitarum* vocans; qui nomen ipſe tamen ſuum in libris a ſe editis *à Villavicentio* ſine *n* in medio vocis ſcribit.) Xereſanus, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, ſuæ Theologiæ Profeſſor, & Hiſpanicæ nationis apud Brugenſes Concionator

nator Andreæ Hyperii Libris de ratione Studii Theogici veri & genuini auctoris nomen demſerit & ſuum ſubſtituerit falsò in ejus locum, multi ante nos obſervârunt: nec nos prætermiſimus id part. I. Animadverſionum c. I. §. III. p. m. 3. ſ. edit. Oxon. 1699. in 8t. Ipſe Hyperius II. de ratione Studii Theologici, c. IX. Obſ. I. extr. p. m. 132. edit. Baſil. MDLXXXII. in 8t. *Noſtrâ*, inquit, *tempeſtate de vocum ſimplicium & complexarum Hebraiſmis, multa in unum volumen congeſſit* Barptolomæus Weſtemerus, *quibus rudes juvari haud mediocriter poterunt*.

CIV. Jacobus ZOCHUS, Ferrarienſis Juris Pontificii Profeſſor, multa cum auditoribus ſuis ſcripta communicavit, quæ temporum injuriâ vel hominum malitiâ, quò minus exſtent, averſa ſunt, teſtante Valentinô Förſterô, III. Hiſtoriæ Juris Civil. Romani, c. XXXIV. §. 3. p. m. 523.

Complura hujus notæ Scriptorum exempla ſuperant, ſed ſatietas modò vitanda eſt, ideóque his hoc tempore contentus eris. Alios id genus, cum iis, qui ante nos hoc argumentum inluſtrârunt, enumeravimus in Animadverſionum noſtrarum part. X. c. II. §. VIII. p. 162. An plagiarii librorum, qui aliorum ſcripta ſibi ſupponunt; aut alioqui inventa ſibi tamquàm inventoribus tribuunt, crimen falſi committant? diſquirit Gisb. Voetius,

tius, part. IV. Selectarum Diſputationum, p. m. 695. malè ſcribens: *aut qui floriferos ut apes in ſaltibus omnia libant.* nam Lucretius, III. II. habet,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant;
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta;
Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

His jam finimus, & Te valere jubemus. Lugduni in Batavis poſtridie Kalendas Septembreis MDCCVII.

THOMÆ CRENII
DE
FURIBUS LIBRARIIS
DISSERTATIO
EPISTOLICA III.

Ad Præſtantem & eruditum virum JOH. GOTTLIEB KRAUSIUM, præcipuum Auctorem des ausführlichen Berichts von allerhand neuen Büchern und anderen dingen, ſo zur heutigen Hiſtorie der gelehrſamkeit gehörig, incept. 1708. Francof. & Lipſ. in 8t.

POſtquàm ad ſecundam noſtram, Librariis de Furibus, ſtilum Veſtrum delabi Diſſertationem permiſiſtis venuſtorum in Excerptorum Veſtrorum libello, (Tom. III. n. V. p. m. 299. ſ.)

 eum-

eumque Tu mihi exhibere voluiſti, rogans ut reſiduum argumenti, quod mente fortaſſis complexus eſſem, adderem: qualicumque finem operi noſtro ſtatuere nolui; etſi ab iniquis Scripturam noſtram obſervari ſenſi, & adverſarios in pejorem partem rapere; reliqua tamen ſubtexetur Diſſertatio; quam his Matthæi Sutlivii verbis, c. v. libri de recta Studii Theologici ratione, p. m. 40. editi Hanoviæ MDCIV. in 8t. legendis, inchoabimus: *Ridebunt adverſarii*, (Pontificii) *quando intelligent nos, tyrones* (l. *tirones*) *in hoc ſtudio ad ſcripta* Lutheri, Zwinglii, Calvini, Melanchthonis, Pomerani, Bullingeri, Petri Martyris, Buceri, Oecolampadii, Muſculi, Gvaltheri, Bezæ, *aliorumque Orthodoxorum remittere. Sed rident illi & DEUM, & ſanctam Chriſti religionem. Hoc ſanè certum eſt, ipſos ad* Origenis *&* Ambroſii *patrúmque commentaria multa addidiſſe, ſcripturarúmque ſententiam literalem fideliter expoſuiſſe. Quod & ipſorum adverſariorum teſtimonio liquet. nam quicquid vel* Cajetanus, *vel* Ferus, *vel* Toletus, *vel* Arias Montanus, *vel* Pererius, *vel* Pintus, *vel* Janſenius, *vel* Stella, *vel alius ex omni adverſariorum numero interpres opportunè dixit, aut ad Scripturæ aliqua loca annotavit, hoc ferè omne, licèt ipſi hoc negent, & diſſimulent, ex noſtrorum hominum commentariis tranſtuliſſe videntur, ut ex locorum collatione facilè colligere licet.*

I. Jo-

I. Johannes de L'ABADIE ex-Jeſuita, auctore Antonio Hulſiô, part. I. Speciminum Theologiæ Hypotheticæ, Diſput. XVII. §. XV. p. m. 424. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LXXVI. in 8t. Joan. Cocceji *vitulis laborare ſolet.* Sequente paginâ 425. §. 17. nominatur Labadie *Cocceji ſimia.* Quia hic ſum, obiter moneo, Ludovicum Wolzogen, Eccleſiæ Walonicæ apud Ultrajectinos Paſtorem & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Academia Profeſſorem, fortaſſe non falsò, in p. m. 34. ut ego numeravi, Orthodoxæ Fidei ſuæ, Trajecti 1668. in 8t. editæ, ſcripſiſſe: *Ego affirmo, me vix quemquam nôſſe in tota Synodo, qui non eruditione præſtet* Johanne (ſ. *Johanni*) de Labadie, *etſi omnes ipſe vincat fiduciâ ſui, inauditâ temeritate de quibuſlibet differendi linguæ volubilitate; & incomparabili impudentiâ.* Sic Gallicus de Gallico Paſtore Paſtor, invito forſan D. Phil. Jac. Speneró.

II. R. ABENDANA in Spicilegio ad librum Michlal Jophi Abarbenelis veſtigiis, ut fere ſolet, inſiſtit, & gemella docet, auctore Joh. Friſchmuth in Exercitio Academico, Propheta Moſi par, inſcripto, ad Deut. XVIII. 15. c. I. §. 13. extr. habito & edito Jenæ M DC LXXV. in 4to.

III. *Vidiſtine*, ſcribit Bohuslaus Balbinus Jeſuita ad Chriſtoph. Arnoldum Pragæ VI. Septembr. M DC LXXXI. adducente Burcardô Gotthelffiô Struviô Faſcic. VI. Actorum Lit-

terariorum ex Manuſcriptis erutorum, n. XXXIX. p. m. 53. ſ. edit. Jen. MDCCIX. in 8t. *Annales Boicos Cancellarii Bavarici* ADLZREITERI? *Sic vos non vobis. Partus hic eſt noſtri* P. Johannis Fervaux *Lotharingi*, (*hoc tibi ſoli*) *in cujus nomine ob certas cauſas Annales illos noſtri majores apparere noluerunt.*

IV. ALCUINUM FLACCUM ALBINUM non dubitat C. Barthius, lib. LVIII. Adverſarior. c. XIII. extr. col. m. 2749. edit. Francof. M DC XXIV. in fol. *ſuam obſervationem* in De Quæſtionib. in Geneſ. XXX. 39. *debere alicui majorum gentium Exegetæ in Geneſin ſcribenti; non enim ea tum, cum ille ſcriberet, tempora erant, ut Hippocratis libris facilè quis lectis in ea regione, ubi ille vivebat, gloriari poſſet, & mos alioquin Chriſtianorum Expoſitorum notus eſt, nullo malô aut ſiniſtrô animô, ſed ſimplici candoris confidentiâ, deſcribere etiam* πρὸς λέξιν *Commentaria majorum, neque meminiſſe interim auctorum, quos noverant, videlicet, non gloriæ cauſsâ, ſed emolumenti & utilitatis publicè dona cælitus data litteris reliquiſſe.* De Albino, Anglo, Eboracæ in Patria Diacono, inſtar omnium, cenſente Joh. Gottfrid. Oleariô, Halâ Saxone, in p. m. 17. Abaci Patrologici, Jenæ M DC LXXI. in 8t. editi, Gentilis ejus Joan. Pitſeus legendus de Scriptor. Anglic. p. 162. quem librum in raris nec obviis temerè pono.

V. Georgium ALBRECHT Auguſtanum,

Pa-

Paſtorem olim & Superintendentem Eccleſ. Nerolingenſ. b. D. Balth. Meiſneri conc. I. in XI. Articul. confeſſ. Auguſt. de Utilitate privatæ Confeſſionis, p. 625. ſ. (m. 273. part. II. edit. Wittenb. MDCXXXI. in 4to) uſurpâſſe conc. XXVI. de Pœnitentia & Confeſſione, p. 430. ſ. indicat in Novo Collegio Concionatorio Lipſiæ 1662. edito in 4to, p. m. (ut ego numeravi) 26. Theodorus Gailfink; qui, interprete D. Joanne Fabriciô in Diſſertat. I. §. XXVI. p. 61. ſ. memorata epiſtola, Gothofredus Kilian, Superintendens Glückſtadienſis eſt; a quo alia & plura hoc de argumento memorabilia incaſsùm exſpectavi.

VI. Proſperi Aquitanici multas paginas tranſſcribere ALIDGARUM, Epiſcopum Cameracenſem, libris V. De virtutibus & vitiis, & ordine pœnitentium, ſcriptis annô Chriſti DCCC XL. ſcribit Caſpar Barthius in quadam ad Chriſtian. Daumium epiſtola, referente Burcardô Gotthelffiô Struviô, præſtante longè multis & ingeniô & diligentiâ, in Faſciculo VI. Actorum Litterariorum ex manuſcriptis erutorum, p. 66.

VII. ANASTASIUS Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius è Theophanis Chronico, ut Caſimirus Oudin, olim Presbyter veteris inſtituti Ordinis Præmonſtratenſis, jam Reformatorum in numerum adgregatus, in Supplemento de Scriptoribus a Bellarmino omiſ-

ſis, p. m. 219. edito Pariſiis MDCLXXXVI. in 8t. perhibet, *quod a temporibus Maximiani & Maximini Imperatorum continuavit uſque ad Michaëlis & Theophili avum, h. e. ad annum* DCCCXIII. Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam concinnavit, uti ex duobus aliis Georgio Syncello, & Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano, quos fere ad verbum tranſſcriptos Latinè reddidit; & ita ſequitur, ut merum Interpretis nomen mereri videatur. atque id conſtare etiam poteſt ex Fragmentis, quæ Dionyſius Petavius in ſuis ad Nicephorum notis inſeruit. Hæc Oudin, quô familiariter hìc olim uſi ſumus. Porrò Georgius Monachus Taraſii Patriarchæ Syncellus anno IↃCCXCII. Chronicon confecit, quod à Mundi Exordio uſque ad Maximianum & Maximinum Tyrannos perduxit, ſed morte præventus ulterius perducere non potuit, ut ille ipſe ſcribit ibidem Oudin p. m. 206. Illud Græcè & Latinè Pariſiis in fol. annô CIↃIↃC LII. cum Hiſtoria Theophanis evulgatum eſt typis regiis inter auctores Hiſtoriæ Byzantinæ ſtudiô Jacobi Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui laborem ſuum Hiſtoricos ad Græcos corrigendos contulit, & obſervationes dicto Chronico adjecit. Quod autem dictus ibidem Oudin p. m. 207. ſubjicit: *In hoc Volumen Syncellus univerſum Euſebii Cæſarienſis Chronicon verbotenus tranſtulit, ſic tamen, ut in*

Eu-

Euſebio reprehendendo penè ſit perpetuus. At verò fatemur quidem meritò ipſum ſæpe ab Euſebio diſſentire: ſed habet ſuos nævos Syncellus; non paucos nec exiguos, ut Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis docuit: debere videtur Gerardo Joanni Voſſio, II. de Hiſtoricis Græcis, c. XXIV. p. m. 284. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LI. in 4to ſcribenti: *Syncelli hujus Chronicon ad nos pervenit cum inſcriptione iſtiuſmodi:* Ἐκλογὴ Χρονογραφίας, συνταγεῖσα ὑπὸ Γεωργίου Μοναχοῦ, συγκέλλου γεγονότος Ταρασίου Πατριάρχου: i. e. Excerpta Chronographica, collecta ab Georgio Monacho, Taraſii Patriarchæ Syncello. *In hoc volumen Syncellus univerſum Euſebii Chronicon, nullâ verborum immutatione, tranſtulit: ſed ita, ut perpetuus penè ſit in Euſebio inſectando, ac rarò eum ſine contumeliâ dimittat: quin etiam* ἐμβρόντητον, i. e. attonitum, ac inſtar eorum, qui de cœlo tacti ſunt, ſtupentem totum, *appellet. Interim fatemur, meritò ſæpe ab Euſebio diſſentire. Verumenimverò eſt etiam, cùm Syncellus ipſe non minus latæ ſit culpæ reus: quod paſſim oſtendit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis.* Et p. 285. *Georgius Theophanes Chronicon elaboravit uberrimum, quod interpretatus eſt Anaſtaſius bibliothecarius. Familiaris fuit Georgio Syncello: qui cùm, morte præventus, Chronicon ſuum tantùm perduxiſſet uſque ad tempora Maximiani, & Maximini; Theophanes reliqua, ipſius Syncelli poſtulatô, pertexuit; nempe uſque ad*

obitum Nicephori Logothetæ, & initium Michaëlis Curopalatæ, Rancabe *dicti, Nicephori generi; ut teſtantur Joannes Curopalates, & Georgius Cedrenus, Hiſtoria ſua proœmiô. Id tempus incidit in annum Chriſti* ↄↄ CCC XII. *Hinc & in codice bibliothecæ Chriſtianiſſimi regis, Syncellum hic Theophanes excipit. Miſcellæ hiſtoriæ collector, uti in prioribus libris Eutropium, & Diaconum exſcripſit: ſic in poſterioribus, puta ab initio lib.* XVII. *ſequitur Theophanem, & ita ſequitur, ut interpres veriùs ſit, quàm ſcriptor diverſus. Atque id vel conſtare poteſt ex fragmentis iſtis, quæ Dionyſius Petavius ſuis in Nicephorum notis inſeruit.* Thomæ Reineſio, Epiſt. XXXVIII. p. m. 314. edit. Lipſienſ. M DC LX. in 4to ad Chriſtoph. Adam Rupertum ſcribenti: *Georgius Monachus, & Syncellus, Joſephi & Euſebii exſcriptor, ab Adam exorſus ſuum Chronicon, quod penes me eſt, deſinit in rebus Michaëlis Imper. & Theodoræ, quæ incepit a.* D. ↄↄ CCC XLI: Epiſtolâ XL. p. m. 321. Rupertus reſpondit: *Georgium Monachum ſæpe geſtiebam videre, quod ſalivam mihi moviſſet Scaliger, quum ad Caſaubon. in Epiſt. p. m. 491. edit. Pariſ. an. 1610. ſcriberet:* ſe ex illius reliquiis tantum profeciſſe, quantum non poſſit lectione omnium ſcriptorum, quæ hodie extant. *Et ſane nobiliſſima duo fragmenta ſunt, quorum alterum de ortu regni Parthici citat* Bongarſ. ad Juſtin. lib. XLI. c. IV. *alterum de regibus Corinthiorum e Diodoro Siculo* L. Rhodoman-

domannus in hoc ipſo *p.* 352. *Quæſo bea me nonnunquàm uno vel altero locô memorabili, præſertim ſi quem habeat ad hiſtoriam Romanam facientem.* Ego, ſciens Scaligerum ſub initium anni CIↃ IↃC IX. diem obiiſſe ſupremum, & editionem illius anni 1610. ad Caſaubonum non habens: evolvi Joſ. Scaligeri lib. I. Ep. LXXII. p. m. 218. ubi hæc reperi: *Ex illis reliquiis, quæ* (f. *quas*) *ex illius Monachi Theſauro depromſi, tantum profeci, quantum non poſſem lectione omnium ſcriptorum qui hodie exſtant. Tamen injuria facta eſt illi. Nam ille digeſſerat* Χρονογραφεῖον *ſuum per canones, & hiſtorias ſuis temporibus aſſignârat. Librarii verò eas hiſtorias* σποράδην *in tumultuariam congeriem congeſſerunt: prætereà miſerum auctorem in multis mutilârunt: quod præter alia certiſſima argumenta ex ipſo auctore colligitur, qui quædam promittit, quæ non comparent. Acceſſit improbitati librariorum lectorum ſcelus, qui quædam folia amputârunt.* Et p. 219. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XXVII. in 8t. *Multum equidem debeo illi Georgio, & nonnihil tuo Chronographio Conſulari. Quamvis enim auctor homo* ἰδιώτης *fuit, tamen illi ſecundum Georgium, plus debeo, quàm ulli alii Scriptori.* Ceterùm nactus tandem ſum Pariſinam Opuſculorum variorum antehàc non editorum Joſ. Juſti Scaligeri editionem M DC X. in 4to. in qua verba paullò antè citata: *in tumultuariam congeriem congeſſerunt*: ita habent:

L 5 *con-*

conjecerunt in tumultuariam congeriem. Rectè! Scaligerum enim, *in congeriem congeſſerunt* ſcripſiſſe ſimile vero non videtur. Eſt quidem ceteris Joſ. Scaligeri Epiſtolarum editionibus locupletior Lugdunenſis Elzeviriana CIↃ IↃC XXVII. in 8t. ſed non emendatior, quippe in cujus exemplo quodam, quod ex officina Elzeviriana, in qua, ut ſecundò ederetur, depoſitum erat, meam in Bibliothecam venit, Daniel Heinſius, ut puto, multa manu ſuâ emendavit loca, in titulo libri ponens: *Ad hoc exemplar* (ita correctum.) *editio ſecunda curari debet*. Jam ad prima redeo; Quæſiverat Rupertus e Georg. Richtero, p. m. 432. hujus Epiſtolar. editar. Norimbergæ M DC LXII. in 4to: *Valde aveo ſcire, quodnam ſit illud Chronographium Conſulare, laudatum a Scaligero in Epiſt. ad Caſaubonum, p. 492. an cum Euſebianis unà editum? item an Georgius ille Monachus, cujus ſalivam jam dudum moverunt Bongarſianæ ad Juſtinum notæ, & quem in dictis literis commendat Scaliger, adhuc ἀνέκδοτος lateat in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca?* Cui ſequente hæc Richterus reſpondet Epiſtolâ: *De Chronographio Conſulari & Georgio Monacho, Scaligero tantoperè laudatis, eô, quô ſignificâſti, locô, nempe Epiſtolarum ad Caſaubonum p. 492. nihil invenio, niſi alia Tibi earum Epiſtolarum eſt editio. In mea editione Lugdunenſi Batava Annô* CIↃ IↃC XXVII. *aliquoties quæ ſcripſit, legiſſe me me-*

memini, nempe Epiſt. LXVI. LXVIII. LXXII. *&* LXXIII. *p.* 206. 218. *ſ.* 223. *&* 226. *nimirum multum ſe libris iſtis ad Euſebium ſuum fuiſſe adjutum. Ex quo vides, in Euſebio jam haberi, quæ bona in illis laudavit. Lucem verò addunt, quæ Caſaubonus viciſſim ad Scaligerum, & de Chronographio & de Monacho ſcripſit, Epiſt.* CCCCXXXVII. CCCCXL. CCCCXLIII. CCCCXLIV. *&* CCCCXLVII. *p.* 521. 525. 531. 532. *&* 536. *quas Caſauboni Epiſtolas Gronovius noſter, ut nôſti, ante quadriennium edidit.* Ego utor editione Brunſvigenſi M DC LVI. in 4to. In Bongarſii notis Lugduni editis, M D XCIIII. in 8t. p. m. 70. vitiô typographi *Georgii Monarchi Chronicon* adducitur, quod in editione Juſtini Hackiana opt. CIↃ IↃC LXXXIII. in 8t. emendatum video. Quæ hîc ex occaſione.

VIII. M. Andream ANGELUM Struthiomontanum im Bericht von Johann. Hilten ſampt etlichen Weiſſagungen von untergang des Türckiſchen Reichs Davidis Herlicii vitulâ in multis arâſſe, ait b. Jacob. Thomaſius Diſſertat. XXXVI. p. m. 409. extr. edit. Hal. M DC XCIII. in 8t. *collationémque docere;* hæc præmittens: *Herlicius ſub finem ſuperioris ſeculi, Pannoniam miſerè vexante Turcâ, regni ejus interitum brevi futurum libellô (annô* 1596. *editô,* von des Türckiſchen Reichs untergang *titulô Tractatus Theologaſtronomici) prædixit jucundiùs ſcriptô quàm veraciùs.* Bienniô

poſt ſimilia vulgavit Andr. Angelus.

IX. De Stephani AQUÆI (ita enim ſe nominat in Dedicatione & in præfatione, at ſub initium operis fol. 1. ſic eſt: *In* 11. *Plinii librum Stephani* Aquei, *viri equeſtris*, *Commentaria.*) Bituricenſis in omnes Plinii libros Commentariis, Pariſiis M D XXX. editis in fol. Beati Rhenani judicium e principio Epiſtolæ ad Philippum Puchaimerum Cardinalem Maguncíacenſem Medicum & Conſiliarium in calce trium Rhenani de rebus Germanicis librorum, & in Centuria Philologicar. Epiſtolar. a Goldaſto conlecta & edita Lipſiæ M DC LXXIV. in 8t. p. m. 195. f. legendæ, repetit Conradus Geſnerus in Bibliotheca, f. m. 602. b. edita Tiguri M D XLV. in fol. & quia Joſias Simlerus Tigurinus in editione Tigurina M D LXXIV. in fol. p. m. 636. b. id omiſit, hic illud ſubjicere nonnullum operæ pretium viſum fuit. *In primis ipſum volumen* (Aquæi) *non eſt exiguum, ex variis congeſtum authoribus, quod uſui pauperculis eſſe poſſit, qui non habent Bibliothecam inſtructam: puta Ariſtotelem & Albertum de Animalibus, Raphaëlem Volaterranum, ex quo integra ferme capita author tranſcripſit bonâ fide, hoc eſt, unà cum ipſis mendis ne ſyllabâ quidem mutatâ, Cœlium Rhodiginum, Columellam etiam, Palladiúmque, & ſimiles Scriptores. Nam hoc precipuè habet ſtudio, citare teſtimonia authorum, qui* (hæc vox omiſſa eſt

malè in citata Centuriæ Goldaſti Epiſtolarum editione) *cum Plinio faciunt, de verbis ipſis minimè* (in Goldalſt. eſt minimum) *ſollicitus, quod illi penitus puerile videtur. In ſumma, liber talis eſt, qui ſi non magnoperè juvet, excitet tamen literas, & Plinium ipſum vulgo fortaſſis commendet, quæ mihi res inprimis grata eſt.*

X. Leonardum ARETINUM, a Colomeſio doctus, *perſonatum dicit interpretem* David Abercrombius, Scotus, Medic. D. (qui an is ſit, quem Relationes publicæ Hagenſes, n. VII. ann. 1716. Londinenſium relatu, rebellionis Scoticæ ſocium ferunt, neſcio) Sect. XI. p. m. 84. Furis Academici, Amſtelodami editi annô 1701. in 12. *quòd à* Chriſtophoro Perſona *Civitate donatam Romanâ* Procopii Hiſtoriam *ſibi turpiter aſcripſerit.*

XI. Quàm multa ſecunda in Epiſtola ARISTÆNETUS ex eleganti Platonis Phædro tranſumpſerit, e quo & Cicero quædam initiô primi & ſecundi de Legibus, & Lucianus ἐν εἰκόσι, & Appulejus in libro de Deo Socratis, Joſias Mercerus indicat in p. m. 214. notarum ad Ariſtænet. lib. I. edit. Pariſ. MDCXXXIX. in 8t. addens p. 229. *E Callimacho certè & alia habet* Ariſtænetus *in hac Epiſtola* X. *quæcunque grandiora, ſed periit nobis Callimachi carmen de Acontio.* Et interjectis nonnullis: *Sed habet noſter* (Ariſtænetus) *a Philoſtrato in Venere* quod ipſum p. 230. bis Mercerus repetit.

XII. Au-

XII. Auguſtini BARBOSÆ libros enumerans Janus Nicius Erythræus Pinacothecâ II. n. XVIII. p. 62. ait: *Primùm prodiit in lucem, opus illud egregium, de officio Epiſcopi, duobus voluminibus comprehenſum: quod tantum habuit commendationis, ut multorum beneficentiam, ad illius inopiam ſublevandam, illexerit. Alterum opus, quod non minorem illi famam ac benevolentiam hominum peperit, fuit illud inſigne, de jure eccleſiaſtico univerſo volumen. quod opus, magnô alienô labore partum, in ſe illum tranſtuliſſe, ajunt, hôc modô. die quodam ejus famulus, ſalſa quædam muriatica in prandium coëmerat, quæ, ne manus digitóſque inficerent, tetróque odore imbuerent, cetarius chartis quibuſdam, ut moris eſt, amiciebat: quem poſtea amictum famulus, domum reverſus, cùm, præſente dominô ac vidente, muriatica illa exuiſſet, quo in aquam injecta macerarentur, & in terram abjeciſſet, dominus, curioſus inſpiciendi, quid chartis illis contineretur, eas ſuſtulit, ac luſtrare oculis cœpit; viditque, elegantiſſimi doctiſſimique cujuſdam operis initium eſſe; ſtatimque ſuſpicatus eſt id quod erat, auctore, antequam potuiſſet illud impreſſum typis emittere, è vivis ereptô, heredes, ignaros, quantum in eo boni ineſſet, tanquam ineptas, neſcio quas, chartas, & inutiles, cetario vendidiſſe; & ſtatim magnam in ſpem venit, auctore è medio ſublató, ſi librum illum quoquo modo nactus eſſet, pro ſuo edendo, maximam ſibi ex eo gloriam poſſe contingere: ac percontari di-*

diligenter è famulo cœpit, in quonam macello, & à quo cetario, muriatica illa coëmiſſet. qui aperuit illi omnia, & ſimul ſigna & notas oſtendit, quibus ad cetarii illius tabernam, ſine ullo errore, perveniret. abiit ille curriculô, quo mittebatur; librum invenit, cui paucæ quædam chartæ fuerunt detractæ; ac vili eum precio redemit; tum, ſubrogatis iis, quæ deerant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum, pro ſuo, curavit. Quod debet eſſe exemplo omnibus, qui ſcribunt, ut dent operam, quantum poteſt, quo vivis ipſis, ſua ſcripta lucem aſpiciant. *Hæc ab homine, Barboſæ amiciſſimo, ejúſque arcanorum omnium conſcio, accepimus. Edidit deinceps alia plura, de officio Parochi, de Canonici dignitate, Collectanea ſuper Jus canonicum; quæ in volumina quinque diſtribuit; Collectanea Concilii Tridentini, aliorumque Conciliorum; diſputationes varias; praxin exigendæ penſionis, Collectaneorum ex Codice Juſtinianeo tria volumina; denique Vota deciſiva.* Sed, cùm poſtrema ejus opera, ſuperioribus, nec doctrinâ, nec methodô, nec ſermonis elegantiâ, reſponderent, ſuſpicionibus locum aperuiſſe videtur, illa vel à parente, vel ab altero, gentili ſuo, emanâſſe, hæc deteriora ab ejus ingenio eſſe profecta. Daniel Georg. Morhofius laudaturus adducta ex parte Nicii lib. I. Polyhiſtoris c. IX. p. m. 83. editi Lubecæ annô MDCLXXXIIX. in 4to, ſequentia præmittit iis quæ huc faciunt: *Pſeudony-*

donymis annumerandi & illi ſunt, qui aliena ſibi per plagium attribuunt. Sunt in illis adeo impudentes quidam, ut excuſſô veri Autoris nomine ſuum reponant; quod in Roberti Stephani Theſauro Latinæ Linguæ factum, ad quem plagiarii velut ad cadaver aliquod vultures convolârunt. Toties hoc opus ſub peregrinis nominibus recuſum eſt. Doletus ſubtiliore furtô in aliam formam opus redegit in commentariis ſuis Latinæ Linguæ. Quemadmodùm & Scapula Henrici Stephani theſaurum Græcum in aliam formam redigens à plagii & doli crimine non poteſt abſolvi, etſi utilem Scholis aliqua ex parte operam præſtitit. Sed omnia illa perſequi exempla infinitum eſſet; quorum magnam partem jam tum collegit Thomaſius in libro de plagio literario, moralitatem quoque ejus ad minutias uſque perveſtigans. Cautiores illi plagiarii ſunt, qui poſtumis virorum doctorum ſcriptis inſidias ſtruunt. Sæpè enim contingit, ut prematurâ illorum morte vel non edi vel non abſolvi poſſint eorum opera: Ad quorum pabula fuci alieni qui accedunt, non ſibi facta mella deprædantur. Vix credi poteſt, quam frequens illa fallendi ratio ſit. Vidi non ita pridem ipſe editum alieno nomine librum, quem Vir doctiſſimus privatis ſcholis olim propoſuerat. Et p. 84. ſubponit, *Alii ex variis Scriptoribus quædam furantur, ne ſtatim deprehendi in furto poſſint, quorum maxima quidem pars eſt. Non poſſum, quin inſigne hic exemplum afferam Thomaſio non notatum, ut multa quidem adjungi poſ-*

poſſent. Edidit P. Stephanus Lambertus Villaſanus Burgundo-Sequanus, è Soc. Jeſu, & in Cæſareo Madritenſi collegio Eloquentiæ Profeſſor opera poëtica, in quibus pleraque ex aliis optima nota poëtis ſunt congeſta, ſed ita, ut per lacinias hinc illinc petitas carmina ſua quaſi conſueret. Ex levi eorum inſpectione ſtatim apparuit illa fraus. Nam ex Auguſtini Maſcardi, elegantiſſimi Poëtæ, ſylvis, Paſſeratii poëmatibus & Emanuelis Theſauri Inſcriptionibus pleraque compilata notavi: Quod argumento eſt, etiam cætera, quorum non illa notitia nunc eſt, furto alicunde ſubrepta. In epicediis Reg. Iſabellæ Borboniæ pleraque excerpta ſunt è Maſcardi Sylvarum lib. 3. *de Rebus triſtibus & è Deliciis Poëtarum Gallorum. Epicedia in funere Principis Hiſpaniæ Balthaſaris Caroli pleraque, imò omnia, è Maſcardo conſarcinata. Illud verò Epitaphium elegans, quod in Villaſano p. 289. legitur, totidem verbis in Maſcardo p.* 135. *legitur; niſi quod unam vocem mutaverit:*

Vix matutinum ſurgebat Cæſaris aſtrum
Lumine promittens uberiore diem:
Aſt immaturam obnubit mors pallida lucem,
Nec ſinit è medio vibret ut axe facem.
O lucem ſine luce brevem! vix Lucifer ortus
Solem præveniens Heſperus emoritur.

Quæ p. 286. 287. *apud Villaſanum leguntur, è Paſſeratii poëmatibus, quæ in Deliciis Poëtarum Gal-*

Gallorum habentur, part. 3. p. 156. & p. 171. *aliquâ ex parte tranſſcripta. Vafrities hujus hominis ex eo etiam apparet, quod in titulo libri impreſſionis annum non appoſuerit, quem tamen Cenſores libri produnt. Confuſo enim tempore incertum, quis verè plagiarius. Inſcriptiones in Principem ſuum ex Emanuelis Theſauri Inſcriptionibus compilavit.* Mox paucis interjectis quibuſdam: *Extant Orationes*, inquit, *cujuſdam non ignoti Jeſuitæ, quæ multam partem ex Italicis Panegyricis Emanuelis Theſauri deprompta ſunt. Dum enim acutum dicendi genus, qui morbus quorundam eſt, nimis affectat, etiam ne ſententiola deſint, aliunde furatur.*

XIII. *Antiquitates Calabricas a Cardinale Sirletio* (ſ. Gvil. Sirleto) *conſcriptas* GABRIEL BARRIUS *ſibi attribuit*; ſcribit in p. m. 90. Furis Academici David Abercrombius.

XIV. Petri Gillii opera non pauca ſuô nomine Petrum BELLONIUM edidiſſe, idem ibidem p. ſ. 91. habet.

XV. Bonaventuræ BROCARDI Palæſtina, ſeu Deſcriptio Terræ ſanctæ reſtituta a Philippo Boſquiero prodiit Coloniæ Agripp. annô MDCXXIV. in 8t. ex officina Joan. Crithii. Cujus filius Henric. Crithius in præfatione ad Lectorem, hunc Librum jam olim editum eſſe dicit 1536. in 8t. Antverpiæ. Joſias Simle-

Simlerus in Bibliotheca Geſner. p. m. 102. b. extr. citat Brocardi Palæſtinam Pariſiis editam apud Poncettum Le Preux. Chriſtianus Adrichomius Delphus in Catalogo auctorum, quibus in Theatro Terræ ſanctæ uſus eſt, huicque ſubjuncto & Coloniæ edito CIƆIƆC. in fol. laudat Delineationem & deſcriptionem Jeruſalem & Terræ promiſſionis accuratiſſimè per Bonavent. Brocardum Bernaitam elaboratam; excuſam Pariſiis 1544. *Habet* hic Brocardus, auctore Caſp. Barthiô in Excerptis ex Epiſtolis ejus ad Daumium, reperiendis in Faſciculo VI. Actorum Litterariorum ex mſſcris erutorum atque collectorum curâ Burcardi Gotthelffii Struvii, p. 68. edit. Jenæ MDCCIX. in 8t. *multa, ſi non pleraque ex Jacobo a Vitriaco lib.* I. Hiſtoriæ Orientalis, *quem & aliquoties citat nomine Jacobi Patriarchæ. Conferenda, ſi lubet relegere, editio Caniſii mirè interpolata, T.* VI. *Antiquar.* Lection. *p.* 295. Scriptor hic, à Vitriaco, ante annos quadringentos multa notabilia conſignavit, ſcribit idem Barthius, v. Adverſarior. c. XIV. col. m. 237. Et mox col. ſ. *Apud Vitriacum, fatendum*, inquit, *non pauca bona frugis legi, multa verò alia, quæ profundam ignorantiam Antiquitatis in eo arguunt. Notabilium non poſtremum eſt, quòd ſuô ævô omnes illas nobiliores Judæorum ſectas intèr ipſos etiamnum viguiſſe ſcribit, ita ut & diſcipulos habuerint ſuos*, *c.* LXXXII. *quô locô* Phari-
ſæorum

ſæorum *tamen non meminit. Inter abſurdas fabulas illa incluſio aliquot gentium eſt intra montes ab Alexandro facta, cujus mentio in aliis etiam Scriptoribus, & præcipuè illo, qui Vitam Alexandri ſcripſit, prodigioſiſſimis mendaciis refertam.*

XVI. BRUNERUS (mihi non notus, bene autem Martinus BRUNNERUS in Academia Upſalienſi Græcæ Linguæ Profeſſor, qui Palæphatum de Incredibilibus edidit Upſaliæ MDCLXIII. in 8t. & notas geminumque indicem adjecit) *compoſitam a* Cevalerio *Grammaticam Hebraicam ſuis ſub auſpiciis in lucem edidit*, perhibente Davide Abercrombiô, Sect. XLIV. extr. p. m. 304. Furis Academ.

XVII. Bertilii CANUTI *multa ſunt in Epiſtolis e Lipſio, in Poematibus e Loticbio, lacinia*, ſcribit Morhof. c. l.

XVIII. CONSULTUS, ac Martianus CAPELLA, ſcribit Laurentius Vallenſis, p. m. 773. Adnotationum in Errores Antonii Raudenſis, editar. Coloniæ MDLXIII. in 8t. *de Arte Oratoria præcepta dant, ſed plurima ex Quintiliano ad verbum ſumpta, quum tamen de illo, a quo furantur, mentionem non faciant, homines improbos, planéque ingeniô miſerô ac furaci, quos aliàs caſtigabimus.* Chirii, ſive Curii Fortunatiani Conſulti Artis Rhetoricæ Scholicæ libri III. reperiuntur p. m. 38. ſ. Vete-

rum

rum Rhetorum a Franciſco Pithœo JCto conlectorum & editorum Pariſiis CIↃ IↃ XCIX. in 4to.

XIX. Quomodo Balthaſar Copius Reformatæ Religionis Paſtor Neapoli Nemetum Doctorem noſtrum Lutherum exſcripſerit; oſtendi in II. Meditatione meâ in Joann. III. 2.

XX. Joannis Arnoldi CORVINI Eccleſiaſtæ Leidenſis Reſponſionem ad Joannis Bogermanni Eccleſiaſtæ Leovardienſis Adnotationes in Pietatem Illuſtrium Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ ab Hugone Grotio vindicatam, Lugduni Batavor. M DC XIV. in 4to. II. partib. editam Gerard. Joan. Voſſius Epiſt. XC. ad Hugonem Grotium, p. m. 136. a. edit. Auguſt. Vindel. M DC XCI. in fol. his nobis commendât: *Hoc cogitandum erit, ut aliquid novi adferam poſt* CORVINUM, *quando ille meliorem laborum noſtrorum partem nobis non invitis in* Antibogermanno *ſuo exſcripſit. Nam præter ea, quæ Dordrechtô illi per te miſeram, Lugduni hic utendum dedi, quidquid teſtimoniorum ex antiquitate de ſingulis Hagenſibus Controverſiis, non ſine labore longo congeſſeram. Quod cum ſciret ipſe, ante ſemeſtre & amplius in familiari ſermone ſubvereri ſe dixit, ne, dum magnam laboris noſtri partem in ſuas cameras convehit, non tantùm honoris qualemcunque fructum interceperit nobis, qui tanti non eſt mihi, ſed etiam reliquum quod fecit, depreciaverit planè, cùm eadem a me re-*

reponi minimè ſit ex honore utriuſque noſtri. Ego ſecurum eſſe juſſi, quandoquidem reſtarent alia multa, quibus locum eorum, quæ exſcripſiſſet, ſupplere abundè poſſem. Quod veriſſimum eſt, ſolâ temporis anguſtiâ premor, quô minus eâ curâ hac tractare poſſim, quâ optem.

XXI. CYPRIANI De Idolorum Vanitate Librum fere e M. Minucii Felicis Octavio & Tertulliano deſcriptum eſſe, nemo, utrumque qui legit, ambiget. Quare & Chriſtophorus Cellarius, amicus olim noſter, qui & noſtris omnibúſque temporibus acerbò nimis fatô ſubtractus eſt, noſtris quidem eo acerbiori, quod neminem fere ullum nobis ſui ſimilem reliquit: *Minuciano Cypriani librum Joannis a Wower exemplô* in editione Halenſi CIↃ IↃC XCIX. in 8t. *adjunxit, quia ejuſdem argumenti eſt, atque ſæpiſſimè iiſdem verbis & ſententiis expreſſus, ut alterum ex altero transſcriptum hic illic eſſe, neceſſe ſit, quamlibet uter prior fuerit, non omnium eſt eadem opinio Plerique tamen* Minucium Cypriano *præiſſe cenſent, quod vel ideo, propius ad fidem faciendam eſt, quia copioſa, facilius, retentis verbis, in epitomen rediguntur, quàm brevia, iiſdem ſervatis, amplificantur*, ut in Minucium præfatur Cellarius.

XXII. Johan. Michaelem DILHERRUM Paſtorem olim & Profeſſorem Norimbergenſem part. III. Poſtill. p. m. 670. 671. edit. Norimb. 1660. in 4to, b. D. Balthaſ. Meiſnerum,

rum, conc. IV. in III. Articul. Auguſtanæ Confeſſ. p. 133. (m. 208. part. I. edit. Witteb. MDCXXX. in 4to) ſequutum, oſtendit Theodorus Gailfink in Novo Collegio Concionatorio, p. m. ut ego numero, 26. ſ. P. 31. ſcribit, II. concionem Dilherri in Feſto Trinit. in I. concione Balth. Meiſneri in I. Auguſtanæ Confeſſ. Articul. Exordium conc. II. Dilherri in Feſto SS. Trinit. part. II. p. 665. ſ. in b. D. Joh. Gerhardi lib. III. c. VII. p. m. 439. Scholæ Pietatis, Norimbergæ CIↃ IↃC LXIII. editæ in 4to; Exordium II. Concionis Dominic. II. Trinit. Dilherri, in dicti Gerhardi Exordio Domin. II. Trinit. Homil. II. p. m. 337. part. II. Homiliarum ſacrar. in Pericopas Euangelior. Dominical. edit. Jenæ MDC LVI. in 4to: I. concionem Dilherri in die Ciner. (Aſcher-Mitwoch) part. III. Poſtill. p. 740. magnam partem reperiri in Hectoris Mithobii concione XVIII. in c. III. Jonæ, p. 849. ſ. Eumdem Dilherrum b. Conradi Schluſſelburgii Poſtilla uſurpâſſe indicare me memini in Meditationibus meis Germanicis in Joann. In utroque autem, Dilherro, part. III. Poſtillor. p. m. 669. extr. hujúſque verba repræſentante Gailfinckio, p. m. 26. edit. Lipſienſ. 1662. in 4to, pro *ward* lege *war*. Euangeliſta enim Joannes, quem Dilherrus in margine citat, c. I. I. non habet ut Dilherrus adduxit & ex eo Gailfink: *Gott ward*

ward das wort, ſed ἦν *Gott war das wort*. Neque hæc verba, *Gott war das wort* ſequuntur iſta: *Verbum Caro factum eſt*, ſed præcedunt; ut malè Dilherrus ſcripſerit: *Der Euangeliſt ſagende*: Das wort ward fleiſch, *meinet durch das Wort den Sohn Gottes, denn er ſagt alſobald darauf*: Gott ward das wort.

XXIII. Gvilielmus Whitakerus de Thoma DORMANNO ſequentia præfatur in Joannis Ivelli Sariſburienſis in Anglia Epiſcopi, adverſus Thomam Hardingum, volumen, p. m. ut ego numeravi, 7. editum Genevæ MDLXXXV. in fol. DORMANNUS *quatuor quæſtiones ex eo numero, quem Thomas Hardingus integrum edidit, quas ipſe voluit, ſelegit, in eiſque refellendis elaboravit: in quo omnes illum ſibi meliùs conſulturum fuiſſe judicant, ſi ad aliam potiùs cauſam ac materiam tractandam animum tranſtuliſſet, hanc peritioribus & doctioribus reliquiſſet*. Et p. ſ. 8. extr. *Neque verò interea* Dormannus *penitus dormivit, & ſpartam, quam fuerat nactus, deſeruit, ſed bellum redintegravit, tantóque audaciùs in eum, a quo laceſſitus fuerat, incurrit, quantô ipſe fuit dux omnium imperitiſſimus. Nam quum viribus & ſcientiâ minus potuit, ſubſidio ſibi confidentiam & loquacitatem comparavit. Cui homini Græcorum illud veriſſimè profectò congruit*, ἀμαθία μὲν θράσος φέρει. *Quis enim illô fuit indoctior, quis ineptior, quis minùs in ſcripturis, atque veterum Eccleſiæ*

pa-

patrum libris exercitatus, qui cùm maximam vitæ partem in fabulis agendis conſumpſiſſet, ſubitò Lovanium profectus, & Theologiæ Baccalaureus inauguratur, & libros de religione præclarus author conſcribit? Quod quidem ei facile fuit, quando eam ſcribendi rationem inſtituit, ut quicquid ille ſuô nomine ederet, aut ab Hoſio Cardinali, aut à Pigghio Campenſi, aut ab ipſo Hardingo, aut ab aliquo ejuſdem ſcholæ magiſtro, ſi fatetur, ſumeret, ſi negat, ſurriperet, & totidem penè verbis tranſcriberet, atque pro ſua (f. *ſuo*) *venditaret. Quod cùm furti genus quoddam ſingulare ſit, eô tamen communi proverbiô factum homo ſtolidus defendit*, Nihil dictum, quod non dictum priùs. *Itaque cuperem, ut quando illum Nowellus, qui erat cum valentiore adverſario conferendus, reſponsô dignari voluit*, Dormanni *mentionem nullam faceret, Hoſio, Pigghio, & reliquis à* Dormanno *in Anglicum converſis reſpondere ſe in titulo libri ſignificaret. Sic enim & verè profiteri, & majorem ſcriptis authoritatem conciliare potuiſſet.*

XXIV. Gulielmus Durandus, Mimatenſis Epiſcopus, J. U. D. clariſſimus, ut eſt in titulo jam adducendi libri, lib. VII. c. XXXIV. Rationalis divinor. Officiorum, fol. m. 451. b. editi opt. Lugduni MDCV. in 8t. Johannem Belethum, Theologum Pariſienſem, c. CXXVII. more ſuô exſcripſit, obſervante Matthia Fridericô Beckiô, c. VI. §. 19. p. m. 67. Martyrologii Eccleſiæ Germanicæ per-

vetuſti, Auguſtæ Vindelic. M DC LXXXVII. in 4to editi, nobiſque ab Auctore, amico noſtro, muneri miſſi.

XXV. EPICURUM *e Democriti inſignis Philoſophi fontibus hortulos ſuos rigaviſſe olim*, notavit Thomas de Pinedo Luſitanus in Stephanum de Urbibus, p. m. 5. b. extr. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC LXXVIII. in fol. addens p. 6. a. *Democritus fuit primus, qui atomos excogitavit, per quas poſteà Epicurus celebris evaſit, ex quibus quatuor elementa, Solem & Lunam, & reliqua omnia compoſita fuiſſe aſſerebat.*

XXVI. Joan. FERNELIUM contractam luis venereæ labem, non ſuis, ſed alienis *Hulrici* ſcilicet *Uteni* (f. Hütteni) remediis præceptíſque curandam ſuſcepiſſe, notat David Abercrombius in Fure Academico, Sect. XLIV. p. m. 302.

XXVII. B. D. Caſp. Finckius in Clave Scripturæ ſacræ lib. I. c. VIII. p. m. 59. Regula XI. edit. Jenenſ. CIↃ IↃC XVIII. in 4to: *Matthias*, inquit, FLACIUS *Illyricus parte* II. *Clavis Script. adſcripſit bene multas* regulas interpretandi Scripturam: *verùm non de ſuo, ſed ex libello edito Pariſiis Annô* 1550. *cum titulo*: Regulæ intelligendi Scripturam ſ. auctore Franciſcô Ruitziô Valleſo Itano (l. Ruiziô Valliſoletanô) S. Facundi, Ordinis ſ. Benedicti Abbate; *cujus tamen Auctoris non memini Flacium in Clavi mentionem feciſſe.* Ego habeo iſtas

Re-

Regulas intelligendi Scripturas ſacras, Lutetiæ editas 1547. in 12.

XXVIII. *Sub* Johannis FUNCCII *nomine*, ſcribit b. D. Wolfgangus Franzius in Tractatu De Interpretatione Sacrarum Scripturarum, Orac. XLI. p. m. 427. edit. Witeberg. CIϽ IϽC XXXIV. in 4to: *extat* Chronologia, *Studioſis Theologiæ apprimè utilis, cujus auctorem eruditi faciunt Andream Oſiandrum.* E Franzio fortaſſe habuit hoc & b. D. Mich. Waltherus Meditatione Biblica II. p. m. 448. c. VIII. editâ Norimbergæ MDCLII. in 8r. Ego utor Funccii Chronologiæ exemplô Witebergæ editô MDLXX. in fol. quod notari velim.

XXIX. Alium ab iſto FUNCCIUM Rectorem quondam Görlicenſem, in *Breviario*, vel (f. ſive) *Hiſtorica* ad *Orbis imperantis notitiam Introductione* pleraque Conringio debere, obſervat Chriſtian. Gryphius c. I. Apparatus de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus, p. m. II. editi Lipſiæ MDCCX. in 8r. addens: *Caruit tamen vir bonus Linguarum exterarum notitiâ, adeóque in Hiſtoria Gentium illarum non ſemel erravit, quod in Belgicis quidem ipſi exprobravit auctor Bibliothecæ univerſalis, Joh. Clericus.*

XXX. De GALATINO compluſcula part. I. Methodor. ad Gabrielis Naudæi Bibliographiam Politicam, c. IX. (qui numerus p. 524. typographi vitiô omiſſus eſt) n. 14.

(c) p. 528. ſ. adferre me, ſubit animum memoria, jam addo b. Jacobum Thomaſium in Diſſertatione de Plagio Literario, c. II. §. 436. n. LXVII. p. m. 189. ſ. edita Suobaci 1692. in 4to. Thomam Malvendam Setabitanum, Ord. Prædicator. Tom. I. lib. II. c. XXI. de Antichriſto, p. 102. b. 103. a. & tom. II. lib. XI. c. I. p. 172. a. edit. Lugdun. MDCXLVII. in fol. qui videantur. Pauli Colomeſii e p. m. 262. Paralipomen. de Scriptoribus Eccleſiaſtic. edit. Londin. 1688. in 8t. hæc ponere libet: *Petrum Galatinum Raimundi Martini ſuppilatorem facit Hermolaus Barbarus, ſi Johanni Benedicto credimus libro* I. *cap.* 7. *Summæ Peccatorum. Sed quomodo Galatini plagium deprebendere potuit Hermolaus, cùm anno* 1494. *obierit, Galatini verò Arcana annô* 1518. *primùm prodierint? Nodum hunc ſolvit Johannes Albertus Widmanſtadius in Epiſtola Præfatoria ad Ferdinandum Imperatorem in Novum Teſtamentum Syriacum, ubi ait Galatinum Arcana ſua multò antea apud Ligures collegiſſe, atque in Reuchlini gratiam in Dialogi ſpeciem poſteà tranſcripſiſſe. Porro quo in Opere Galatini furtum notârit Hermolaus, mihi non conſtat, mirórque hac de re nihil obſervatum viro clariſſimo Joſepho de Voiſin ad Pugionem Fidei Raimundi Martini. Alia Galatini Scripta ſe editurum minatus erat Lucas Waddingus in Bibliothecâ Minorum. In his erant ingentes in Apocalypſim Commentarii, Carolo* 5. *Imperatori*

peratori dicati; Tractatus de Scriptura Interpretatione; item Opus ſingulare de Eccleſia inſtituta, deſtituta, & reſtituta. Plura de Galatino & ejus Scriptis congeſſimus in Italia noſtra Orientali, quam MS. ſervat unà cum Obſervationibus noſtris ad Gyraldi Dialogos de Poëtis amicus noſter Petrus Savouret, Bibliopola Amſtelodamenſis.

XXXI. Tarquinius GALLUTIUS Sabinus *& ſenſum & dogmata Ariſtotelis* extendere (f. *expendere) voluit: ſed profectò pauca tam grandi volumine reperias, quæ non jam omnia ab aliis explicata, imò ex iis petita ſint*: ſcribit Samuel Rachelius in p. m. 141. extr. & 142. Introductionis in Ariſtotelis Philoſophiam Moralem c. XIV. præmiſſæ Ariſtotelis Ethicorum ad Nicomachum Libris x. editis Helmæſtadii CIϽ.IϽC LX. in 4to, & addit: *Par eſto judicium de* Roberti Balfonrei *Commentario* in Ariſt. Eth. *qui* Lugduni prodiit A. C. 1652.

XXXII. Antonius Hermannus GOGAVA, Gravienſis, *ingens quoddam*, inquit Jacob. Verheiden in Vita fratris Gvillelmi Verheiden, Belgæ, Hagæ edita CIϽ IϽ XCVIII. in 4to, p. m. 3. *& laborioſum opus condiderat: quod cum prelo mandandum eſſet, ſubreptum ab Hiſpanis creditur. Nec hoc novum apud illam gentem. nam Hiſpanus, ut ambitioſum & invidioſum animal, ſi quid rectè geſtum fuerit, omnem ad ſe gloriam traducit, ſibique, quod alienum eſt, vendicat. Argumentum operis fuit, quantùm conjecturâ augura-*

ri poſſum, de Diverſitate Ingeniorum. Hujus Operis jacturam Sigilli Regii Cuſtos Hopperus his verbis, in quadam epiſtola indicat: Omnium maximé mihi dolet, & nondum ſatis pacatô adverſus Veſpaſiani Gonzagæ familiam eà cauſsâ ſum animô, quód optimas divitias D. Antonii, & in omne ævum duraturas; quas eâdem fide, quas cæteras ad me miſerat, arte abſtulerunt. Nam vix quinque horis, antequàm animam redderet, uti (f. *ubi*) forté Oeconomus meus officii cauſsâ ad illum venerat, tantum apud eum odiô & importunitate efficiebant, ut de ſcriptis ſibi reddendis ad me mitteret, quod, ſuſpicans quid ageretur, longé graviſſimum mihi erat, nec ſané feciſſem, niſi meus, quem dico, Oeconomus teſtatum mihi feciſſet, eam ipſius fuiſſe voluntatem. Scripta ipſa quænam erant, proximis litteris, cúm pluſculum erit otii, ſignificabo.

XXXIII. Notæ in Hieroclis Facetias, cum quibus hæ prodierunt Lugduni 1605. ſunt GOLDASTI vel potiùs Marqu. Freheri, *ut ipſe mihi retulit*, ſcribit Caſp. Barthius ad Daumium apud Burcardum Gotthelffium Struvium in p. m. 3. Actorum Litterariorum ex manuſcriptis erutorum.

XXXIV. Hubert. GOLZIUS, ſcribit Chriſtoph. Adam Rupertus, p. m. 755. Oratoris Hiſtorici, Noribergæ M DC LXIII. editi in 12. *religiosè ſequitur Onufrium, an imprudenter exſcribit?*

XXXV. De Claudio GVILLIANDO egimus in parte VII. Animadverſionum noſtrar. c. I. §. IX. p. 68.

XXXVI. *In* Joh. HERMANNI *Poſtillis*, ait Theodorus Gaſſink in Collegio Concionatorio, p. m. ut ego numeravi, 31. edito Lipſiæ 1662. in 4to, *multa ex aliis exſcripta reperio; in parte Feſt. habetur tota concio e Gerhardo qui jam non eſt ad manus. Opinor autem in Feſto Adſcenſionis Chriſti eſſe.*

XXXVII. *Methodus* Petri HISPANI, tradente Barthol: Keckermannô, Tom. I. Operum, Tractat. II. c. II. Præcognitor. Logicor. §. 29. col. m. 106. edit. Genev. MDCXIV. in fol. *per omnia eſt eadem, ita ut de verbo ad verbum, déque capite ad caput, Hiſpanus ſuam Summulam e* Michaëlis Pſelli, temporibus Henrici quarti Imperatoris Conſtantinopoli florentis Synopſi Organi Ariſtotelis, in quinque libros digeſta, *ſuppilârit, & quæ jam Hiſpani dicuntur, ea Pſelli dici debeant, ſiquidem duos iſtos conferenti manifeſtè apparet,* Hiſpanum, *qui Pſellô poſterior fuit, vix verbô a Pſello diſcrepare, procul dubio, quòd cùm in Pſellum incidiſſet clam, putavit vel a nemine adhuc lectum, vel lectum non iri, quæ ſpes Petrum fefellit. Ideóque ei jam nihil, ſed Pſello vero authori debetur, quicquid in ea tam celebri olim* Summula Hiſpani *fuit laudis: quæ profectò non eſt exigua, ſi doctrinam* de Modalibus *perſpicuè a Pſello explicatam, Locorum item in-*

inventionis doctrinam ſpectemus, quæ in Pſello laudatiſſima: Nec doctrina Suppoſitionum (*quas vocant*) *a Scholaſticis manavit, ut multi putant, quia Pſellus lib.* V. *totum caput* XXVI. *habet* περὶ ὑποθέσεως. *Addidit poſteà* Hiſpanus *nonnulla de* Incipit *&* Definit, *de* Ampliationibus *& reliquis ejuſmodi, quæ ſine jactura profectò magna omitti potuiſſent. De* Demonſtratione *Pſellus in ſua Synopſi non tractat, & hoc eſt, quod magnoperè hic deſideratur: Sed &* ἀμεθοδία *magna eſt profectò: alioquin multa lectu non indigna.* Hunc Keckermanni locum notavit ante nos Cl. Joh. Albertus Faber n. XXXIV. Centuriæ Plagiarior. at ſequentem e col. 107. § 37. dicti Keckerm. non: *In annum Chriſti* CIↃ CC LXXV. *collocat Trithemius* Petrum Hiſpanum Portugalenſem, *qui initiò quidem Epiſcopus Tuſcanus* (in meo Codice Trittenhem. f. m. 91. b. edit. Coloniæ MDXXXI. in 4to eſt *Tuſculanus*) *fuit & Cardinalis, pòſt autem ſummus Pontifex, mutatô nomine* Joannes XXI. *dictus. Puto hunc eſſe, qui* Summulas *quas vocant* Dialecticas *ſcripſit, certè alius Petri Hiſpani mentionem in Trithemio non advertimus.* (Ipſe tamen Abbas Spanhemenſis Petri Hiſpani libros enumerans Summulas omittit) *Quicquid ſit, Summulas iſtas non Petri iſtius eſſe, ſed* Michaëlis Pſelli *paulò antè diximus, nec aliter judicabunt, qui Synopſin Pſelli cum Summulis iſtis Hiſpani conferent.*

XXXVIII. Quamquàm doctiſſimus Anglus

glus Thomas Hobbes, quem in ſuo de Statu naturali paradoxo auctorem ſequeretur, non eſt profeſſus, tamen qui iſta elementa cum iis comparabit, quæ de hominum ortu, & quemadmodum urbes eſſe cœperint, ſecundùm Epicuri placita librô quinctô nugatur Lucretius, facilè odorabitur, ex iiſdem hortis etiam Hobbeſianam ſegetem ſuccreviſſe. *Et verò*, ſubjicit b. Jacob. Thomaſius, Diſſert. xix. p. m. 187. edit. Halenſ. M DC XCIII. in 8t. *cui ſic ſordebat Ariſtoteles, dignus erat, cui flores Epicuri olerent amaracinum. Quid? etiam triſtiora, & humana genti magis probroſa philoſophatur* Hobbeſius, *quam ille Gargettii ſenis ſectator* Poëta. Quod ne fruſtra ſcripſiſſe videretur, pluribus ibi laudatus Thomaſius id confirmavit.

XXXIX. Georgium Hornium lib. II. de Origine Americanorum c. VIII. e Joan. Goropii Becani lib. v. & vi. Hiſpanicorum deſcripſiſſe, teſtatur Henric. Kipping. I. Inſtitutionum Politic. c. XX. §. XVI. extr. p. m. 172. a. edit. Brem. M DC LXVII. in 4to. Addam hic judicium Chriſtiani Gryphii de duobus Hornii libellis ex Adparatu ſive Diſſertatione Iſagogica de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus c. I. §. II. p. m. 10. ſic ſe habens: Georgii Hornii Orbis Imperans & Politicus *vulgo adoleſcentibus commendatur: ſed vix eſt, ut iis tutò fidere poſſis, quanquam Politico, ut audit, Orbi expurgando ampliſſ. Otto Menckenius, Im-*

perantì verò Joachimus Fellerus manum admoverint. Solenne enim fuit Hornio, *viro alioquin non indocto, ejuſmodi libros ſine ulla diligentia*, (bey der Tabackpfeiffe) *conſcribillare, & quicquid in buccam venerat effundere.*

XL. Cornelius JANSENIUS Gandavenſium Epiſcopus in Concordia Euangelica pleraque a Martino Bucero, in Expoſitione loci Matth. II. 15. mutuatus eſſe dicitur, referente D. Joh. Petro Grünenberg Harburgâ Lunenburgenſi in Diſſertat. Inaugur. I. e dictô Matth. loco habita & Roſtochii edita annô 1698. in 4to, part. II. §. 4.

XLI. De LACTANTII Epiſtolis ſequentia memoriæ prodit Hadrianus Junius Hornanus, c. XVIII. p. m. 515. ſ. Bataviæ, Dordrechti CIↃ IↃC LII. in 12. editæ: *In Egmondano Cœnobio longè vetuſtiſſimo, Benedictini generis Monachis, qui foro piſcario mancipati olim vivebant, deſtinato, Bibliotheca, celebris omnis generis ſcriptis codicibus & præſertim membranaceis, quos diligenter magnâ curâ cùm Priores alii, tum Gerardus, ex Poelgeeſtanâ ſtirpe Abbas, undecunque conquiſiverant, raros auctores oſtendit, è quibus dolet mihi interiiſſe intra quindecim proximos annos magno literariæ Reipub. detrimento Lactantii Firmiani epiſtolarum libros duos, quorum meminit nominatim D. Hieronymus: quos dum ad me cogitat, editioni deſtinandos, mittere Antonius Hovæus, illic religioni operatus, vir doctus, qui poſteà Ab-*

Abbam Abſternacenſem proſperâ famâ egit, repperit à bibliotapho quopiam librorum plagiario ſublatos: atque ita diſperiit ille theſaurus, ab hæredibus ſacrifici, in quem cadebat ſuſpicio, in cucullos & piperis involucra conciſus.

XLII. Ab Hieronymo Magio Anglarienſi, *qui* Annotationes *uberes poſt Gybertum Longolium Belgam* in Æmilium Probum de Vita excellentium Græciæ Impp. edidit, *multa* Dionyſius LAMBINUS *audacter mutuatus, taciturnitate (ut ne nominare, quidem ſuſtineat) ingrati vix nomen effugit*; ſcribit Auctor (forſan Franciſcus Sweertius; Franc. Filius Antverp.) Elogii Hieron. Magii, hujus Libro poſtumo de Tintinnabulis Amſtelod. CIↃIↃC LXIV. opt. in 12. edito præfixi. Sanè Sweertius dictum Magii librum notis illuſtravit.

XLIII. Cornelium a LAPIDE Jeſuitam Romanum, Balthaſ. Corderii Catenam Græcorum Patrum in Lucam pro more inſtanter exſcripſiſſe, adfirmat b. D. noſter Dorſcheus in Scrupulis Religion. n. XII. extr. p. m. 368. editis Argentorati CIↃIↃC LII. in 12.

XLIV. LEO Allatius in Diſceptatione De erroribus magnorum Virorum in dicendo, Romæ 1636. (al. 1635.) edita non exiguas e Claudii Verderii (ita enim eſt in meo libro, non *Verdieri*, ut aliquoties Morhofius locô mox dicendo habet) Cenſionibus (Morhof. I. Polyhiſtoris c. XVI. p. m. 178. libri ti-

tulum in Singulari refert hôc modô: *Claudius Verdierius, Filius Antonii Verdierii librum ſcripſit exiguum magnificô hôc Titulô*: Cenſio autorum omnium veterum & recentiorum. Prope eſt; ut dicam, Morhofium libri titulum non inſpexiſſe aut properâſſe fidenter. Is ita habet: *Clav. Verderii Juriſconſulti, in auctores pene omnes, antiquos potiſſimùm, Cenſiones & Correctiones, ubi receptiſſimorum quorumque Grammaticorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, Dialecticorum, Rhetorum, Oratorum, Juriſconſultorum veterum & recentium, Philoſophorum, Mathematicorum, Medicorum & Theologorum errata quædam deprehenduntur. Pariſiis*, M DC IX. in 4to: ille ipſe Morhofius in ſequente pagina, *Cenſionem* rurſus citans, forſan inſcriptiones paginarum & principia reſpexit, quæ, *in Auctores Cenſio*, habent.) lacinias in hunc ſuum libellum tranſtulit, laudatô interdum, ſed diſſimulanter, autore, interdum præteritô. *Nam*, pergit dictô Morhofius locô, p. 179. edit. Lubec. M DC LXXXVIII. in 4to, *certè majori judiciô ingeniôque Leo Allatius erat, quàm ut e miſera iſta Verdieri Cenſione judicia illa emendicaret.*

XLV. *Novi*, ſcribit Chriſtianus Gryphius in adlegata Diſſertatione De Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus, c. II. §. IV. p. 50. *virum doctum in ſcholis privatis affirmâſſe, quicquid* Joh. Limnæus *egregii haberet*

beret in ingenti & vaſto Juris publ. opere, *omne propemodum ex Diſputationum Baſileenſium voluminibus octo tranſſcriptum eſſe, aliquando citatô aliquando ſuppreſſô earum nomine.* Judice Jo. Henricô Boeclerô in p. m. 28. Conſignationis De Scriptoribus Juris Publici præcipuis, additæ Notis ejus & Animadverſionibus poſtumis in Danielis Ottonis JCti Jus publicum, edit. Argentorat. CIↃIↃC LXXV. in 8t. *neminem ex iis*, qui totum Jus publicum majoribus operibus excoluerunt, *ante* Joh. Limnæum *jure laudaveris. Ille enim in* tomis Juris Publici *diligentiſſimè collegit pleraque, & in* tomis Additionum *ſupplevit. Libertas ejus ſtudiô partium vacua magnoperè commendari meretur. In Philoſophia quando diſputatio ſubtilior incidit, non ſemper adeo accuratus eſt. Interim, ſicut dictum eſt, nemo ei in hoc genere jure anteponi queat.*

XLVI. MISCELLA Hiſtoria *e Græcis auctoribus ad verbum fere tota eſt deſcripta*, teſte Iſ. Caſaubonô, Exercitat. XVI. ad Baron. Annales, n. LIX. p. m. 585. edit. Londin. CIↃIↃC XIIII. in fol.

XLVII. Johannem MULMANNUM Jeſuitam, Profeſſorem Monaſterienſem, *omnia totidem verbis ex Petri Cottoni Inſtitutione Catholica*, & *ſingula propemodum verba ex Bellarmino tranſcripſiſſe*, ipſi illi Mülmanno obprobrat Henricus Julius Blume in Defenſione Exer-

citationis de Miſſis Solitariis Georg. Calixti, p.m. 18. §. 21. p. 36. §. 43. p. 38. §. 45. edit. Francof. 1650 in 4to.

XLVIII. OECUMENIUM e Photii Commentario in D. Pauli Epiſtolas pleraque in opus ſuum tranſtuliſſe, adfirmat Paulus Colomeſius in Paralipomenis de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Obſervationibus ejus ſacris editis Londini 1688. in 8t. additis, p. 271. ſubjungens, *Extat Exemplar ms.* Commentar. Phot. *Græcè in Bibliotheca Cantabrigienſi, ab Excerptis Oecumenianis non parum diſcrepans, ut (ſi bene memini) qui olim contulit, mihi affirmavit vir fide digniſſimus Johannes Battely, Doctor Theologus.*

XLIX. Omnia ferè, quæ in Auguſtini PASTORII *Lauru Actorum publicorum Europæ*, negotia unius tantùm anni 1657. repræſentante occurrunt, Tomis Londorpianis ſunt inſerta, ut Chriſtian. Gryphius refert c. I. Diſſertationis Iſagogicæ De Scriptoribus Hiſtoriam ſeculi XVII. illuſtrantibus, §. V. p. m. 22.

L. Dionyſ. PETAVIUS Jeſuita *eorum nomina, per quos profecerat*, in Doctrina Temporum, *ſubticuit, maximè conſocii* Lælii Biſciolæ, *a quo &* Baronio, *ejus* (f. *eorum*) *nominibus ſuppreſſis, Æra antiquiorem rationem & mentionem, in* Concilio Nicæno *habitam deſumpſit*; ſcribit Alphonſus a Caranza JCtus Hiſpanus in Diatriba ſuper primore Temporum Doctrina

ctrina in libris Pat. Dionyſ. Petavii noviſſimè proſtantibus contenta, c. IV. §. ult. p. 78. b. & his verbis totam Diatribam claudit.

LI. De PHOTII & VARINI PHAVORINI Camertis, Nucerini Epiſcopi, Lexicis ſequentia Joſeph. Scaliger, lib. III. Epiſt. CCXXXV. p. m. 503. edit. Lugdun. Bat. CIƆ IƆC XXVII. in 8t. Richardo Thomſoni, Anglo, *magnæ eruditionis*, ut Paulus Colomeſius in Paralipomenis de Scriptoribus Ecceleſiaſticis, Obſervationibus ejus ſacris additis, p. m. 273. edit. non opt. Londin. 1688. in 8t. laudat, *nec minoris ingenii viro*, ſcribit: *Remitto tibi* Photium *tuum, optimum ſanè librum, & quem edi e re literaria eſt. quanquam omnia, quæ in illo ſunt, hodie in aliis, unde ipſe hauſit, exſtant. Quia tamen laborem legentium levare poßit, quòd in eo omnia congeſta ſunt, quæ ſparſim in aliis relegere labor eſt, non exiguam à ſtudioſis gratiam iniveris, ſi tam utilem librum in publicum exire patiaris. Exſtat hodie magno cum fructu legentium ſimilis labor* Varini Favorini, *qui æqualis fuit ſeculi Politiani. Et quanquam apud ſtudioſos magna in gratia eſt, nihil tamen habet, quod non hodie in aliis reperiatur.* Ceterùm in eo, quod dictô Colomeſius locô ſcribit: *Photii Lexicon memorant niſi fallimur, Suidas & Etymologus*: opinio fefellit ipſum; quamvìs enim Photium Suidas memorat, non tamen ejus Lexicon.

LII. De Julio POLLUCE Hiſtorico hæc ha-

habet Jacob. Gretſerus Jeſuita in Annotationibus in II. Tomum de ſ. Cruce, p. m. (ſi numerus rectè ponatur) 2701. a. B. (2699. mendum eſt) *Exſtat in Bibliotheca Bavarica liber hôc titulô*: Ἰȣλίȣ πολυδεύκȣς Χρονικὸν, Julii Pollucis Chronicum. *Exorditur Auctor à creatione mundi, & uſque ad imperium Valentis Chronicum pertexit. Certè in Valente exemplar deſinit, etſi probabile, non tam auctorem, quàm librarium hic feciſſe finem. Hic ergo Julius, quem in Latinam linguam vertit, ſed non edidit fidiſſimus Studiorum meorum ſocius & adjutor* P. Ferdinandus Crendelius. *Dabo tamen operam, ne cum mortuo interprete moriatur etiam tranſlatio: aut Alexandrum expilavit, aut Alexander Julium: aut uterque tertium, adeò non modò ſententiis, ſed & verbis paſſim conveniunt.* Quibus ex parte repetitis David Hoeſchelius, Epiſt. Miſcell. XXIII. (f. eſt enim XXIV.) p. m. 463. Append. Epiſtolar. Hotoman. edit. Amſtelædam. MDCC. in 4to, ſequentia ut Gretſeri ſubdit: *Quod Lector tum probè intelliget, quum ipſe Julius prodierit, quod propediem futurum ſpero.* addens: *Hactenus Gretſerus.* Quæ in mea Ingolſtadienſi Gretſeri Operum omnium de Cruce editione MDCXVI. in fol. non reperi; licèt non negem, haberi ea fortè in præced. edit. in 4to.

LIII. Antonium POSSEVINUM in Bibliotheca Conradum Geſnerum tacitô auctoris no-

nomine exſcribere ſolere, tradit Ger. Joan. Voſſius, III. de Hiſtoric. Latinis c. III. p. m. 541. princip. edit. Lugdun. Batav. MDCLI. 4to. *Hunc, hominem Italum, hallucinari interdum, & ferè circa nomen aut cognomen Scriptoris exteri*, præfatur in Bibliothecam ſuam Belgicam Valerius Andreas, p. m. 8. ut ego numeravi, de Poſſevini Apparatu ſacro.

LIV. Magno viro Tobiæ Pfannero multa debet, cùm in argumento Pacis Weſtphalicæ verſatur Samuel PUFENDORFFIUS, adeóque non immeritò, quamvis paullo acerbiùs, de celeberrimis Actorum Lipſienſium Collectoribus conqueſtus eſt Pfannerus in præfatione ultimæ editionis (eſt autem ejus *Hiſtoria Pacis Weſtphalicæ* tertiùm edita Gothæ, & quidem cum inſigni augmento, 1697. in 8t.) quòd caſu fortè ſcripſerant, Puſendorffium primum & unicum HiſtoriæPacisWeſtphalicæ ſcriptorem exſtitiſſe, cùm tamen ante Pufendorffium in ſcenam prodiêrit Pfannerus. Vide Chriſtian. Gryphium, c. II. Diſſertationis Iſagogicæ De Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus §. VI. p. 71.

LV. De Hieronymi RORARII libris hæc memorat Martinus Schoockius, Diſp. V. Tractatus de Anima Belluarum, §. IX. p. m. 119. ſ. editi Gröningæ MDCLVIII. in 4to: *Nullus ex Italis fervidiùs hanc cauſſam*, belluas ſine ratione non eſſe, *egit ſuperiori ſeculo, quàm* Hieron.

Ro-

Rorarius *Exlegatus Pontificius*, *cujus duos libros e ſitu primitus protraxit V. cl. Gabriel Naudæus. Dicere verò compellor de hoc* Rorarii *opuſculo, magnam partem compilato e Plutarcho, quod de Anaximandro jam ſuô avô teſtatus eſt Ariſtoteles, lib.* II. *de Cœlo, c.* XIII. Κομψῶς μὲν, οὐκ ἀληθῶς ἦ: i. e. eleganter quidem, ſed non verè.

LVI. Cl. SALMASIUM his Thomas de Pinedo p. 51. b. in Stephan. de Urbibus petit: *Videſis Salmaſ. in Solin.* (Tom. II. c. XLVI. p. 681. a.) *f. 969. & Caſaubon. in Athenæum, lib.* III. *c.* I. *quin alter alterius meminerit.*

LVII. Alphonſus SALMERON, Jeſuita Toletanus, Ignatii Lojolæ individuus comes, unúſque ex primis decem Societatis Jeſu, & primus in Regno Neapolitano Provincialis e Joh. Feri, ſummæ apud Moguntinos Ædis concionatoris fontibus areolas ſuas ita irrigavit, ut pagellas integras in Commentarios ſuos ex eo tranſtulerit, multáque ex illis Index Expurgatorius deleri *juſſerit*; ſic enim pro *juſſit* legendum in b. D. Davidis Chriſtiani, cui hæc debeo, Jeſuita Pſeudo-Irenarcha, p. m. 63. edito Giſſæ CIↃ IↃC LVI. in 4to.

LVIII. R. SALOMON BEN MELECH, Amſtelædami editus, R. Davidem Kimchium, Judæorum eruditiſſimum ubique tranſſcribit, ſi credimus Jac. Windet, M. D. Coll. Lond. in p. m. 10. Στρωματ. Ἐπιςολιx. de Vitâ Functorum ſtatu, edit. Londini M DC LXIII.

LXIII. in 4to, & Matthiæ Friderico Beckio, in p. 37. not. in Paraphraſin Chald. I. Chron. II. 48.

LIX. Continuationis illius, quæ in editione Francofurtana annô CIↃ IↃC XXVIII. in fol. XI. libros ab anno VIII. Seculi XVII. uſque ad annum XVIII. produxit, Thuani nomine profectò indignæ rhapſodo pleraque debet Oſeas SCHADEUS Argentinenſium in Templo Cathedrali Diaconus, qui *Sleidanum Germanicum* cum continuatione uſque ad illum annum emiſit; obſervante Gryphiô, c. I. laudatæ Diſſertationis, § III. p. 14.

LX. Gaſpar SCHOTTUS Regiſcurianus, Jeſuita, auctore Martinô Schoockiô in Tractatu de Adverſatione Caſei (qui acceſſit ejus de Butyro Tractatui ſecundò Gröningæ edito 1664. in 12.) c. X. (quod fruſtra quæres in priori editione Gröning. 1658. in 8t. quippe quô integrô editio altera Gröningenſis in 12. auctior eſt primâ) p. m. 300. *agnoſci debet ſimius ῥαψῳδοῦ ſui gregalis Kircheri, ſimul exſcriptor & compilator ejuſdem perpetuus.* Phyſica Schotti Curioſa eidem ſtatim ibidem Schoockio *eſt merus cento omnigenarum fabularum Phyſicarum, & trivialium opinionum de quibuſcunque rebus naturalibus farrago, curioſis ſolis, quibus nullum judicium oblectandis ſerviens.* Mirum Schoockio non incidiſſe in mentem, Schottum omnia ferè quæ de Oraculis adpendicis

lo-

loco adnexuit libro 1. Phyſicæ Curioſæ e Caſpari Peuceri Commentario de Divinationibus, ubi p. m. 219. ſ. edit. opt. Francofurt. M DXCIII. in 8t. de Oraculis agitur, hauſiſſe, quod obſervat ingeniô & eruditione promptus Chriſtianus Flemig Gubenâ Luſatus in Diſſertatione De Motu Imaginum memorabili, Sect. 1. §. 7. habita & edita Lipſiæ MDCCV. in 4to.

LXI. *Omne*, ſcribit de Sallo, Curiæ Pariſienſis Conſiliarius, aliàs Hedouvillius dictus, Ephemeride XII. anni MDCLXV. d. XXIII. Mart. p. m. 114. edit. Lipſ. MDCLXXI. in 8t. *quod contra* Nicolaum STENONIS, auctorem *De Muſculis & Glandulis Obſervationum Speciminis*, Hafniæ in 4to editi, *dicitur*, *hoc eſt*, *quod ex uno alteróve abſtulerit illa omnia nova, quorum ſe profitetur inventorem. Annô enim* 1663. Ultrajecti *prodiit liber inſcriptus*: Novus ductus Salivalis Blaſianus in lucem protractus à Nicolao Hoboken, *in quo plagii & ſurrepti ex* Blaſio *novi ductus ſalivalis, cujus inventi ſe autorem facit, accuſatur.* Stenonis *verò ſtatim ad hunc librum per Prodromum quendam reſpondit, inque eo monſtrat*, Blaſium *eſſe Idiotam in Medicina, neque idoneum, ut novi aliquid detegere poſſit, & monſtrat etiam, Salivalem ductum ab illo Autore aſſertum plane ab illo ductu differre, quem ipſe deſcribat.*

LXII. Melchior Leydecker ad Jobum Ludolfum

dolfum Kal. Dec. M DC XCVIII. repetente litteras Burcardô Gotthelviô Struviô, p. m. 57. Faſciculi ſexti Actorum Litterarior. ex manuſcriptis erutorum, editi Jenæ M DCC IX. in 8t. ita ſcripſit: *A ſententia* tua de קלי *non alienum eſt* Julius STERINGA (l. Sterringa) *in ſuis Animadverſionibus Philologico-ſacris, Leovardiæ Annô 1695. impreſſis, ſed nominis tui non facit mentionem, quod non æquum puto.*

LXIII. STRABO Demetrium virum peritum in rebus Geographicis plerumque ſequitur, adnotante Thomâ de Pinedo p. 765. b. in Steph.

LXIV. Franciſcum SWEERTIUM Filium *majorem partem* Athenarum Belgicarum, *ſive* Nomenclatoris Inferioris Germaniæ ſcriptorum *e ſua Bibliotheca Belgica, toto quinquennio antè evulgata, tranſcripſiſſe*, ipſe nos docet Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, p. m. 244. hæc ad Lectorem quoque, p. m. ut ego numeravi, 11. præfatus: *Hac volui, neſcius ne eſſes, mi Lector, laboris, diligentiæ, fideíque meæ, ſi fortè alius quiſpiam in ſimili muſtaceo laureolam quærat, & pergat adhuc generosè in incepto: id quod comperi poſteà factum a* Franc. Sweertio *in ſuis* Athenis Belgicis, *editis annô* CIↃ IↃC XXVIII. *toto ſcilicet quinquennio poſt primam editionem hujus noſtræ Bibliothecæ.*

LXV. THOMAS Magiſter (quem lego ex editione Franequer. M DC XCVIII. in 8t.) *a Ma-*

nuele

nuele Moſchopulo exſcripſit, ut Carolus Annibal Fabrotus Anteceſſor Aqui-Sextienſis indicat in Exercitatione de Tempore Partus Humani p. m. 11. edita Colon. Allobrog. M DC XXX. in 4to.

LXVI. Memorabile eſt, quod de Laurentii VALLÆ libris De Linguæ Latinæ Elegantia Caſp. Barthius in ad Daumium Epiſtol. p. m. 61. Faſcic. VI. Actorum Litterarior. ex mſsis erutorum & collector. curâ Struvii ſcribit: *Tantum* Vallæ *Elegantiis ſuperior ætas tribuit, ut non defuerint, qui aſſerere, licèt ſtolidè & ἀλόγως, non dubitârint; Aſconii Pædiani opus eſſe à Valla inventum, ſuóque nomine divulgatum, ut ſcribit Mariangelus Accurſius in Teſtudine Diatribis ſuis Auſonianis & Solinianis adnexa.*

LXVII. In Elogiis & Cenſuris de Matthiæ Flacii Catalogo Teſtium Veritatis, optimæ Francofurtanæ editioni MDCLXXII. in 4to præmiſſis, p. m. ut ego numeravi, 12. hæc habentur: *Wolfgangus* WISSEBURGUS, Theologus Baſileenſis, in Præfatione Antilogiæ Papæ, *quâ de corrupto Eccleſiæ ſtatu & totius Cleri Pontificii perverſitate aliquot veterum Auctorum Tractatus edidit, adjutus auxiliò Flacii, cujus tamen nomen ſupprimit, noſque id habemus ex hoc Catalogo Veritatis Flacii, cùm aliquoties meminit*, ſe curâſſe edi *illos Autores.*

LXVIII.

LXVIII. Nicol. ZEGERUM Minoritam in Schol. in Joan. ult. pleraque ſumpſiſſe ex Commentariis Jacobi Fabri Stapulenſis, habet Franciſcus Nanſius p. m. 243. ſ. Notar. in Nonni Paraphraſin Joannis, edit. Lugd. Bat. CIƆ IƆ LXXXIX.

Sed iſto de argumento hactenus. Gerardum Voſſium, Ger. Joan. Filium, auctorem Notarum in Vellejum Paterculum eſſe; veſtris in Excerptis rectè eſt. Ego part. XVI. Animadverſion. mearum p. 271. multis de auctore & notis egi. Vale. Lugduni in Batavis a. d. XIII. Kalendas Novembr. CIƆ IƆCC VIIII.

In p. 119. extr. poſt *Voſſius*, adde, & ante ipſum D. noſter Lutherus in expoſitione Eph. v. 16. in margine noſtrorum codicum reperienda. In p. 180. v. 21. pro XLVI. lege LVI.

F I N I S.

A01 1466767

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XLII
C28